




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rei Christianae Apvd Iaponios Commentarivs


Trigault, Nicolas


Avgvstae Vindelicoꝝ, 1615

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68745)



Jh. 5213.






REI
CHRISTIA-
NAE APVD IA-
PONIOS COMMEN-
TARIUS

*Ex litteris annuis Societatis
IESV annorum*

1609. 1610. 1611. 1612.
collectus.

AUCTORE
P. NICOLAO TRIGAV-
TIO EIVSDEM SOCIE-
TATIS.



AVGVSTAE VINDELICORVM
apud Christophorum Mangium.

MDCXV.

R. L. I.
CHRISTIA

MAE A PARDIA

PONTIOS GOMMENS

T. R. F. 2

Abhandlung

ELICT

Impr

1811

colle

ACTOR

NICOLAUS

PHYSIC

PHYSIC

PHYSIC

PHYSIC

MDCXV



SERENISSIMO,
POTENTISSIMO ET
INVICTISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO, DOMINO

MATTHIÆ,

ELECTO ROMANORVM
IMPERATORI, SEMPER AVGV-
sto, Hungariæ & Boëmia Regi, &c. Ar-
chiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, &c. Co-
mitem Tirolis, &c. Domino nostro
clementissimo.

Nicolaus Trigantius Societatis IESV.



*Non omnia parua
magnos dedecent,
Imperator Augu-
stissime, alioqui
neq; Homeri Ilias*

) (2

in

DEDICATIO.

*in nucem collecta, artificibus ad-
 mirationi; neque eburneum Myr-
 mecidis plaustrum sub musca alis
 conclusum, magnatibus volupta-
 ti; neq; gemma quantumuis par-
 ua principum thesauris ornamen-
 to unquã fuissent. verum hac ta-
 lia non eò attulerim, ut hunc libel-
 lum, quem Maiestati tuae dico cõ-
 secroq; , eiusmodi esse arbitrer, qui
 inter tanta ingeniorum miracula
 locum habere, aut gemmeos Cræ-
 sorum thesauros ornare possit. alia
 quoque vestis est, quã sese res qua-
 piam spectabilem facit. plurima
 viris principibus, non quod pre-
 tiosa, sed quod rara: non quod ad-
 miranda, sed quod nova sint, ada-
 man-*

DEDICATIO.

mantur. Et hæc libello meo via est,
 quâ sese ad Maiestatis tuæ manū
 viâ patientiore, peruenturum spe-
 rat. nam & nouus est, & rarus
 est. nouus, quia iam primum à me
 in lucem hoc modo editus; rarus,
 quia alio ex orbe aduectus non in
 Europâ, sed in Asiâ apud Iapo-
 nas, res gestas prosequitur: id quod
 spem mihi fecit sanè non exiguam
 fore, ut libellus iste, saltem, quod
 noua & rara doceat, à benignissi-
 mâ manu tuâ non inuitè accipe-
 retur. Sed unde is Iaponiæ animus,
 ut hæcce reculas suas potentissimo
 Imperatori obtrudere non erubescat?
 ipsius ego vicem, Augustissimi
 Imperator, respondebo. Ea

) (3 sunt

DEDICATIO.

sunt Maiestatis tuae in rem Christianam merita, ea in Catholica fide cum tuenda, tum propaganda studia, ea etiam in Societatem nostram extant beneficia, ut angustis Europa nostrae limitibus contineri non possint. quotannis ea per sociorum litteras in extremum orientem nauigant, Et iam apud Iapones etiam Austriacae pietatis, Et tuae virtutis decora decantantur. Hae Japoniae nostrae illustratae visa sunt, quare hunc de rebus suis commentariolum nomini praesertim tuo dedicatum, voluerit, Et eo etiam confidētius voluerit, quò minus dubitauit voluptatem te ex eâ lectione capturum

1011

EX

non

DEDICATIO.

non mediocrem, si, qui tuus in
 Christianam religionem, semper
 fuit animus, in ultimis etiam ter-
 ris, tantos tot sæculorum, errores
 emendatos tandem fuisse cognos-
 cas. Et hanc illius libri fiduciam
 accendit & auxit, ipsum cōmen-
 tarioli huius ornamentum. Mar-
 tyrum enim in terrâ Iaponiâ fu-
 so sanguine purpuratus, ad tuam
 Maiestatem supplex aduoluitur,
 qui quidem sanguis non solùm te-
 stis est acceptæ & defensæ, verùm
 etiam propaganda ulterius reli-
 gionis Christianæ. Quare, Impe-
 rator Augustissime, scriptum hoc
 derebus Iaponicis iam a deo editū,
 benignus tolle & fove, hac etiam

) (4 in

DEDICATIO.

in re Dei amulus, qui, cum maximorum sit maximus, nescio tamen quo modo ijs, quæ parua credimus, velut magnis videtur delectari: Et hoc eo fortassis, quod nos ea quæ verè magna sunt, haud satis cognoscimus. Accipe igitur libellum hunc Et illum quoque Maiestatis simul Et humanitatis tuæ radiis illustra, neque expende quantum debeamus, sed quantum Tuæ in nos beneficentiæ possimus reddere. Faxit Deus, ut, quod olim Venusinus vates Augusto Casari precatus est, Serus in calum redeas, diuq; lætus intersis populo Quirini: Et ubi imperium posueris in orbem hunc inferiorem,
 supre-

DEDICATIO.

Supremum illud in beatorum orbe
tibi deferatur. Roma Kalen-
dis Martiis. Anno cl^o l^o XV.



115 CAN-



CANDIDO LECTORI

Salutem.

SVM à Sinis in Europam maiorū iussu negotiorū causa renauigare, nihil me arbitratus sum Europæ gratius facturum, quàm si rei Christianæ progressus cupidis lectoribus objicerem. Et quoniam ex Sinis & Iaponibus Prouincia nostra conflatur; faciendum mihi putauit, ut expeditionis vtriusq; statum exhiberem. Et Sinensis quidem Ecclesiæ faciem suis ut potui lineamentis spectandam dedi, historiam vniuersam de gentis moribus, rei que Christianæ primordijs libris quinque prosecutus, ad annum vsque millesimum sexcentimum nonum: cuius filum uti continuum facerem, Annales insequentis biennij alio libel-

AD LECTOREM.

libello subiunxi. Nunc de Iaponicis re-
bus scribo, non quidem historiam vni-
uersam, quæ apud Iapones, ab vno è no-
stris conscribitur accuratè, sed cum tri-
ennij annales mecum detulissim, ex iis
vnum corpus in commentarij morem
conflaui, idque magis placuit, quam sin-
gulos annales legendos dare, ne multa in
eodem libello sæpius repeterentur. Ita-
que sexcentissimi noni, decimi, vndeci-
mi, res gestas habes, continua narratio-
ne per singula domicilia descriptas: Quò
tamen clarius intelligas quònam res quæq;
anno gesta sit, volui grandioribus nume-
ris ad initium certorum §§ annum de-
signare. Et quoniam anni quoque duo-
decimi rerum gestarum compendium
nactus sum, addidi ad commentarios
appendicem, ad cuius proæmium te re-
mitto, interim lege & frueri, tuisque
precibus eos adiuua, qui portant pon-
dus diei & æstus in Domini vinea ex-
colenda.

FACVL-



FACULTAS SOCIE-
TATIS.

EGO MELCHIOR HÄRTELIVS So-
cietatis IESV per Superiorem Germaniam
Prouincialis, potestate ad id mihi factâ ab Ad-
modum R. P. Ferdinando Alber nostra Socie-
tatis Vicario Generali facultatem concedo, ut
hæ Iaponica annuæ à P. Nicolao Trigautio con-
scriptæ, & prius à constitutis reuise & appro-
bate, typis mandentur. In quorum fidem hæc
litteras manu mea subscriptas, sigilloq; officij
munitas dedi. Ingolstadij 25. Iulij, Anno
1615.

Melchior Härtelivs





E

E.

s So.
riam
Ad.
ocie.
, ut
con-
pro-
has
ficij
nno

iu






REI CHRISTIANÆ APVD IAPONIOS
Commentarius, ex litteris annuis Societatis Iesu, Annorum 1609, 1610, 1611, 1612.

De politico Iaponiensis Reip. statu.

CAPVT PRIMVM.

 Ontinuæ rerum vices, quibus Iaponiensis Respublica volui solet, eò admirabiliorem faciunt hanc aliquot annorum quietem, vt videri possit circularem instabilitatem sub Imperatore Cubo, in quadratam firmitatem commutasse. hoc enim, de quo scribimus quadriennio, ea tranquillitate consistit, vt nulla sit varietas, quæ tanta videri debeat, vt quietem publicam perturbasse scribi possit. Nam tametsi vel fama vel metus fuit ab Imperatoris demortui filio, eiusque factione, patrium imperium armis repetendum, in solo tamen metu malum fuit. 1609. Ex hac pace domestica inquieti armisque assueti,

assueti Iaponum animi, vicina bella affectarunt. Insulae sunt non procul à Saxumna Iaponiae regno, ad austrum: Lūquiu Iapones vocant, Ligios Lusitani. Eas incolit gens Iaponibus ac Sinis non admodum abfimilis, sed lingua Iapones propius quàm Sinas confectatur, firius viciniam commercioque in ipsum sermonem resultante. Feraces eorum ferè Insulae, quibus mortalium vita sustinetur, quod Iapones ad miscenda commercia cum Insulanis, & vicissim Insulanos cum Iaponijs inuitabat. Eos ferunt olim Saxumnae regno vectigales iugum excussisse; nisi ea bello causa quaesita sit. Ad eas subijciendas adnitente Suxuma Dynasta Cubus Imperator animum adiecit, idque negotij Saxumnae regulo ipsi demandavit: à quo delectu habito fortissimorum militum, quales vulgo habentur inter Iapones Saxumani, instructa classis subito impetu, Insulanos illos longa pace imbelles inuasit. Et quoniam intestinis res etiam illorum Publica hostibus prodebat, paruo negotio in Iaponum potestatem venit. Regulus & Optimates, à Saxumanis victoribus erepta libertate, non vita, in Iaponiam abducti, victoriae fidem suo infortunio praestiterunt.

Hoc prospero huius expeditionis euentu spes suas longius Cubus emittebat. Insula est permagna Sinensi regno propior quàm Iaponiae, non ita procul ab Amacaensi Lusitanorum
in Cant-

in Cantonienſi Prouincia emporio: eam Luſitani formoſam vocant, incertum quæ ex cauſa, cum neque admodum à ſoli vel à gentis benignitate exornetur. Externos omnes Sinis exceptis (vnde ipſi ducta colonia ſeſe propagarunt) non excludunt ſolum commercio ac finibus, ſed etiam caſu appellentes, aut naufragio eiectos, immaniores ipſo mari, feruntur omnes trucidare; quo in externorum numero, peculiari Iapones odio, ab Sinis accepto, primirecententur. Illius Inſulæ animos tentandos eo conſilio ſuſcepit, vti cum his libera commercia Iaponibus eſſent, quæ ſolis Sinis hæcenus patuiſſe dicebantur; ſub quorum tutela dominioque eſſe conſtabat. Cupiebat igitur, vti portum aliquem ſui occuparent, & in portu arcem ad ſua tuenda excitarent. Expeditionis hoc erat conſilium: Iapones Sinarum vbique commercio prohibiti, cum opulentiffimi regni copia ſuam in multis rebus inopiam neceſſario cogantur propulſare, inuectas ab Luſitanis, Hiſpaniſque Amacao & Manilia Sinarum merces coëmunt, incredibili Negotiatorum lucro: Id lucrum externis eripere; ſuiſq; procurare, & Sinenſiū mercium Iaponiæ copiam, & ex copia vilitatē inducere nitebantur. Exploratoria igitur in Inſulam nauigia potius quam iuſtā claſſē ablegauit, ſati enim ſi poſſet impetrare, quā imperare comērcium, iudicabat. Verum ita excepti ſunt, vt præter

conficiendæ rei desperationem, vix aliud in Pa-
triam reuexerint; inhospitaliter quippe de mo-
re gentis reiecti, pignus etiam susceptæ frustra
expeditionis aliquot suorum cadauera relinque-
runt: sed non planè multi, nam aliquot Sina-
rum actuaria mortibus onusta è portu abduxe-
runt, Et Insulanos aliquot tentatæ rei testes fu-
turos interceperunt; hi cum ad Imperatorem
peruenissent, ab eo ita sunt excepti, vt Iaponicæ
gentis metum Ciuibus suis narrata humanitate
eripere posse crederentur: nam humanissimè
habiti variorum quoque munerum electione
proposita deliniti sunt, è quibus auro argentoq;
reiectis, non imprudenter fortasse Barbari ea
dumtaxat pretium habere, quæ ad humanæ vi-
tæ vsus adhibere soliti sunt, iudicarunt. Vestes
enim solum, & agris colendis venationique ap-
ptam ferri supellectilem, ex omni munerum
turba delegerunt. Deinde Iaponum nauigijs in
patriam reuecti; quid à suis impetrarint igno-
tum; nam & ipse Cubus, nescio qua ex causa, ab
ea impostero expeditione temperauit.

1611. Hunc maxime in modum Iapones intra
domesticæ pacis silentium, solos bella metuen-
tis famæ susurros audiebant. Eos auxit iusta su-
spicione Imperatoris in Miacensem superiorū
Regum curiam, è Surunga imperij sui sede ad-
uentus. Veniebat enim numeroso instructus
exercitu, millium vt aiebant septuaginta, præter
eam

eam quam singuli, ad se tuendum, Dynastæ multitudinem ipso iubente conscripserant. Hunc apparatus nemo non credidit in Findeyori superioris Imperatoris Taico filium, ex eo quod deinde contigit, fuisse comparatum. Nam cum ipse Cubus Imperator Findeyori videndi, senili fortasse desiderio, aut alia quapiam ex causa teneretur; quod iam dudum non fecerat, ei per internuncios mandat, uti ad se Miacum exemplo veniat, cupere se inclinatæ iam ætatis conscius, non ante naturæ concedere, quam eius aspectu colloquioque frueretur. Hic nuncius Findeyori, nec minus matrem ingenti metu perculit. nemini enim dubium videri poterat, quin hunc eripere filio hæredi suo metum vellet, arce Voraca, totius, ut aiunt Iaponiæ munitissima, illum exuens, qui spes in ea suas omnes ad Imperium, quo Taico Parens potitus fuerat, recuperandum collocarat. Nec hic vnus erat metus, alium constans vbique rumor confirmabat; velle nunc demum Imperatorem id in hæredis competitorem exequi, quod serius auctius tandem aliquando futurum arbitrantur, stirpem scilicet eius, cui summam dignitatem eripuerat, in hoc vno reliquam extirpando.

Ergo his suspicionum radijs potius quam umbris territi, id consilij sumpserunt Parens ac filius in re dubia, ut multa causati, quoad liceret, tergiuersarentur. Multa super hac re vltro citroque

A B troque

troque transacta, ac res tandem eo deuenit, ve
 causas omnes reijcanti Cubo renunciari iusse-
 rint, se prius ferro ventres, de more Iaponiensis,
 resecturos, quam facturos imperata. Itaque Vo-
 racæ ciues cum viderent nec illum ab instando,
 nec hos à renuendo desistere, veriti ne res in
 belli tumultus erumperet, iam plerique circum-
 spiciebant, quâ maximè ratione fortunas omnes
 suas vitamque in tuto collocarent. Iam vt appa-
 rebat, res ad summum discrimen peruenerat.
 Ergo Dynastæ nonnulli, qui Findeyori partes
 tuentur, ab eius quondam parente dignitatibus
 aucti, beneficijsque obligati, veriti vel illi vel si-
 bi, ex hoc malum creari, extremamque pernici-
 em accersiri, leuius malum esse statuerunt, per-
 suadere sibi Cubi, voluntatem, nihil ab ea quam
 denuntiarat discrepare, quàm vt discreparet, va-
 num in hac tergiuersione refugium experiri,
 & res in apertum Martem nulla repugnandi spe
 euocare. Auctores igitur utriusque fuerunt vel
 maximè, vti certam perniciem timori etiam
 certissimo posthaberent.

Ergo tum primum Findeyori ex arce ac vr-
 be Miacum versus digreditur; multa edoctus à
 à Parente, quæ in hac ancipiti visitatione obser-
 uaret, sed maximè vt apparet, in mandatis acce-
 perat, vt veneni periculum edulij cuiuslibet aut
 potionis temperantia propulsaret, eoq; solo ve-
 liceretur, quod suorû fide conditum, suspicione
 etiam

etiam periculi carere crederetur. Egressus igitur
splendido, vt decebat, apparatu, cum non procul
abesset Miaco, natu minimos duos Imperatoris
filios obuios habuit, à Parente ad eū excipiendū
honoris causa submissos, iussosq; vt in aulicis cū
eo ritibus exhibendis, sese nō pro æqualibus sed
pro inferioribus gererent. Inde ad Parentē præ-
stolantem reuersi, eum non procul abesse nunci-
arunt. Lætus hoc primo filiorum occurſu Miacū
hilaris ingreditur, concurrente ad eum visendū
Ciuitate vniuersa. Tandem in Palatium delatus,
ab Imperatore pro æquali semper est habitus, in-
credibili beneuolentiæ significatione. Tum ad
eximendos Adolescēti priores metus, variā sui-
ipsius purgatione, & amicissima colloca-
tione detinebat. ferunt eum renouata beneficiorum,
quæ ab Adolescentis Parente Taico acceperat,
memoria collacrymatū, parentem enim in filio
videre sibi videbatur. Sed neq; spectantes audi-
entesq; lacrymas tenuēre. Ad præter facti con-
scientiam regnandi suauitas à Tyranno nihil
impetrauit. Muneribus etiam vtrimque certa-
tum, semper Findeyori superante.

His tanta omnium ordinum non gratula-
tione minus quàm admiratione perfectis, in
arcem pari semper vrbantate exceptus visita-
tor, magna parentis ac Voracensium ciuiū gra-
tulatione se recepit; vbi etiam filios eosdē, quos
obuios habuerat, Imperatoris deinde nomine

visitationis officium rependentes excepit, part
semper vrbanitate, pompa, applausuque. Atque
in hunc modum Iaponiæ totius Imperium in-
solitam tot annis pacem quietemque conseruat

*De staturei Christianæ uni-
uersim.*

CAPVT II.

IN his, vt in proæmio monui, annalibus tri-
ennij prioris gesta scribimus, nam anni quart
res res gestæ peculiarem habebunt in fine, co-
rollarij loco, tractationem. Hoc igitur triennio
vniuersim Ecclesiæ Iaponiensi pax fuit, nostriq;
à suis in fide diuulganda exercitationibus mini-
mè prohibiti, nec Euangelij cursus publicè to-
to regno est inhibitus. Nam tametsi Cubus Im-
perator, eo, in impiam idolorum colendorum
propensionem, quo in ætatem ingrauescentem,
impetu feratur procliuius, & potius auersari
Christianæ legis euulgationem, quàm permit-
tere velle credatur; cum & edicto vetuerit No-
bilitatem Christiana sacra complecti; tamen
nec eius edicti nimia est atrocitas, aut seuera
exactio, nec cæteram multitudinem inhibet in
tenenda fide, quam susceperit pietatem exerce-
re, nec si complecti placuerit, à deserendis Dijs
Patrijs indicta lege deterret; aut socios sedibus
suis pellit, aut ab Euangelicis functionibus co-
git ab.

git abstinere. siue id faciat legis peregrinæ in rudi vulgo contemptus, siue Lusitani commercij, Iaponiæ perutilis, interturbandi metus, cum non nesciat Christianæ legis iniuriam ad Lusitanos negotiatores pro sua pietate maximè pertinere, nec vnum sine altero diu posse cum fide conseruari.

Verum enim vero pax hæc non ita sincera est, vt non suis sæpe corrupta sit perturbationibus: siue illæ sint impendentium publicè malorum, sæpe non vani metus, siue peculiarium Dynastarum in priuatis ditionibus turbæ in Christianam religionem concitatae: sed hæc quoque totidem alijs & omnino pluribus etiam Ethnicorum Principum beneuolentiæ argumentis Christianam rem in vtriusque fortunæ lance libratam, in prosperam tandem potius, quàm in aduersam rerum lætarum euentis inclinantur. Quia verò peculiarium sunt domiciliorum, nihil est quod priuatas res, in communium tractationem transferamus. Huius tamen loci videtur esse, collectus ex hac triennij cultura fructus, deque Neophytis Ethnicisue reportatus. Ac de Neophytis quidem multa dicenda essent, nisi hæc ab ijs legerentur, quibus dicere sufficet, nullum ab ijs pietatis genus suis maximè temporibus prætermisissimum. Quæ igitur annorum superiorum monumentis sæpe cantata meminimus, ea si in hunc locum referantur,

A 5 nullam

nul'am nisi temporis varietatem mihi videntur habitura. De Ethnicis vero tametsi propter varios casus ac rerum nouandarum metus, infra messorum vota, superiorumque annorum consuetudinem, collecta messis; non tamen ita fuit exigua; quin in Ecclesiæ horrea sex supra decem aduulorum millia quadringenti ac plures sint congregati, præter animulas illas, quæ parentum fidem iam hereditariam prius in baptismo suscipiunt, quàm liceat per ætatem profiteri.

Duo sunt nihilominus, quæ ad vniuersam huius Ecclesiæ, de qua nunc agimus, constitutionem videntur pertinere; alterum quo huius Ecclesiæ firmitas ab imis conuulsa radicibus aliquamdiu nutauit, dubia quàm in partem inclinarret: Alterum quo cælestibus prodigijs, proximè impendentis mali maioris superiore procella præsignificabatur. Vtrumque nunc narraturus, vnum, moneo, vt qui hæc lecturi sunt, videant, quàm similia sint cum Ecclesiæ nascentis primùm incunabulis, hæc apud Iapones fidel ad reliquum cætum propagatæ primordia, cum inter medias procellas nauiget, inter aduersos flatus pergat, & quo magis teritur, magis assurgat.

Amacaënsis Sinarum portus, Lusitanæ gentis emporium, opportuna dudum legis Diuinæ præco-

præconibus visa est statio, ex qua in Iaponien-
sem agrum (nam de Sinarum noualibus alibi)
coloni commigrarent. Ex huius urbis incolumi-
tate magnam partem, Ecclesiæ Iaponiensis feli-
citas deriuatur. Inde subsidia rei familiaris, inde
auxiliares sociorum manipuli, inde ab Europa
Indiaque societatis Superiorum litteræ, manda-
ta, præsidia transmittuntur. Id quotannis fe-
bre mense fere Iunio, quo tempore soluit oneraria,
spes Amacaënsium ciuium, desiderium Iaponi-
ensium sociorum.

1609. Anno igitur salutis humanæ 1609. non
satis lætis auspicijs ex eo portu soluit oneraria,
cui præerat cum solita Præfecti potestate An-
dreas Pessoa Lusitanus. In eam duodecim socio-
rum, è quibus decem erant sacerdotes, expecta-
tum diu subsidium, magna omnium voluntate
conscenderunt. Soluerat è portu citius aliquan-
to navigatione consueta, & quidem eo consilio
vt Batauos pyratas, importunam his annis fæ-
cem, celeritate luderet, quanquam inaudita ad
hanc vsque diem nauigandi tarditate, quæ dies
tenuit supra quadraginta, hostibus tempus de-
dit insequendi, & etiam assequendi; verum ma-
ria per eos dies turbulenta, naues incertis itine-
ribus, ad ventorum Imperia iactatas, mutuis
prælijs exemerunt. Oneraria nostra tandem ali-
quando portum tenuit ex more Nangasaquien-
sem.

sem. Piraticæ quoque Batauorum naues duæ,
 cum onerariam sibi iam elapsam doluissent, in
 Firandensis regni portum, nō ita procul à Nana-
 gasaquiensi sese receperunt. Inde ad Imperato-
 rem Cubum adornata legatione, cum in exaspera-
 ratum in Lusitanos incidissent, mollia rerum
 suarum conficiendarum tempora repererunt.
 Multa polliciti commercium impetrarunt, Et
 vt promissis starent, ab Sinarum exclusi vbique
 commercio, pyratici negotiatores Sinensia nauig-
 gia operiebantur, vt nouo latrocinandi non ne-
 gotiandi genere ab Sinis merces eriperent, quas
 Iaponij solent ab Lusitanis longo tot annorum
 commercio comparare. Id faciebant non pro-
 cul ab Insulis Philippinis, vbi Sinarum nauigia
 adorti, quæ ab Fuquiana prouincia coniuuenti-
 bus largitione Magistratibus ad Hispanos nauig-
 ant, facile armati inermes & imbelles Sinas de-
 populabantur, etiam Sinensi opere Bombycino
 naues oppleuerant suas; cum fortissimus Insu-
 larum Philippinarum Gubernator, Ioannes à
 Sylua, Hispano-Lusitanus in pyratas tumul-
 tuaria classe triremium biremiumque inuasit,
 ita feliciter, vt onustas naues illas in suam rede-
 gerit potestatem. Male igitur parta, male dilapsa
 sunt, & pyratica fides latrocinij innixa, Iaponij
 credulitatem haecenus elusifit.

Oneraria porrò Lusitana tot procellis qualifata,
 triste fecit in portu naufragium, & quas se-
 cum

cum uehebat spes, incendio absumpsit, & aquis
præfocauit; quod enim solet alteri contra alte-
rum esse præsidio id utrumque in huius onera-
riæ perniciem luctuosissimè coniurauit. In
Amacaënsi vrbe anno proxime superiore, quàm
oneraria solueret, orta inter Iapones aliquot ri-
xa, Lusitanus Prætor accurrerat, accensis ani-
mis, nulla fuit Prætoris reuerentia, Lusitanus v-
nus è Prætoris satellitio periit, alter grauius
saucius domum elatus est, tametsi non impunè
constitit audacia; nam & ex ijs aliquot à Præto-
ris apparitoribus, collegæ sui demortui vindi-
ctam simili pæna reddiderunt, & cum incref-
centibus subinde alijs resistere pergerent, publi-
co æris campani sono ad arma conclamatum
est, Iapones in domum sese quandam munitio-
nem recipientes, adduci vix tandem potuerunt,
multis suorum cædibus, vt arma seque ipsos
traderent; in vincula denique coniecti legibus
rebellionis pænas dederunt, ex omni numero
nonnulli, quos inter primus fuit cæterorum dux
& caput; rixæ quippe auctores è Iaponia non
ita multo ante nauigio quodam appulerant
Amacaum. vnde grauis suspicio fuit, res hac ri-
xa nouas, si dedisset fortuna, moliri voluisse:
satis enim constat, Iaponios Amacaënses Sinū
Lusitanis inuidere. ea res totius mali seminari-
um fuit, & onerariæ perniciem cum tantis vnà
malis inuexit, qui enim superfuerant Iaponij in
patriam

patriam reduces, imminuto suorum numero
mæsti, tristes ad Imperatorem querelas de Lusitanorum iniuria detulerunt. quotus enim quisque est, cui non doloris sui sensus oculos perstringat, & innocentiam sibi, cæteris iniuriam adscribat. Credulus nimium Cubus Imperator neutram Lusitanis aurem reseruauit, statuitque omnino è dignitate sua esse, Iaponum Præfecti mortem, Lusitani Ducis onerariæ morte vindicare: ergo dissimulato interim dolore, clam Arimensi Regulo Ioanni mandat, vti, cum oneraria in Nangasaquiensem portum solita nauigandi tempestate deuenisset, quam occultissime posset, Lusitanum Præfectum interciperet, & ad se mitteret puniendum, cæteros negotiatores mactaret, onerariam diriperet, Episcopum & socios nostros omnes Iaponia proscriberet. Neque mirum videri debet Regulum Neophytum ad hæc exequenda adhibitum: nam qui Amacai perierant, ex eius erant clientibus: vnde ad eum maxima pars iniuriæ pertinere videbatur: suscepit ille in se quod in mandatis acceperat: ita fere apud homines imperandi cupidos mortalia immortalibus, profana sacris indignissime præferuntur. Verum hanc hominis Christiani in Christianos immanitatem aliaque posteriora scelera grauibus ab irata Dei manu pænis, non ita multo post luit, vt extrema huius tragediæ catastrophe sub libri finem commemorabit.

Vbi igitur oneraria aduenit, Ioannes Arimensis Dynasta Nangasachium venit, ditioris suæ conterminum: quod animo meditabatur, Iaponica dissimulatione regens quantum poterat occultissimè; verum aliunde res eruperat; non enim facile Principes iras suas intra stomachū ita continent, quin, si non furoris flamma saltem fumus erumpat. Ergo neque Præfectus oneraria, neque cæteri moderatores egrediebantur; suspiciones enim eos non vanæ intra nauē continebant. Ergo Ioannes vbi patere sua consilia sensit, de intercipiendo Præfecto spes suas damnauit, & ab insidijs in apertam viam quantapoteuit celeritate sese transtulit. Lusitani iam negotiatores plurimi excenderant, tametsi sarcinas omnes non nisi sedato metu rebusque compositis placuisset educere. hi omnes à Præfecto in nauim quàm citissimè reuocati, sed neque per temporis angustias, adhibitosque in littore custodes, licuit omnibus ad sua tuenda in onerariam sese referre; Lusitani non pauci & Indinauæ complurimi defuerunt: qui ergo cauetur numerati sunt paulo plures quinquaginta, è quibus adolescentes erant aliquot, sociique nauales; exiguus sane numerus, ad moles illas nauticas siue moderandas, siue tuendas; & tamen quod numero deerat animis accreuit; Oneraria ad prælium instructa Iaponensem vim ac turbam præstolabatur. Arimensis quoque

quoque Dynasta varijs ex omni genere nauigijs, classem supra mille fortissimorum militum instruxit. Alta iam nocte Lusitani mutato consilio, furori cedere potius, quàm vim repellere statuerunt; ne irritatis grauius Iaponiorum animis, tot annorum comèrcium in perpetuum interciderent, remque vno impetu euerterent Christianam. Salutare consilium fuit, sed euentus infelicior. nam ipsi venti cum hostibus conspirantes nauim intra portum, aut non admodum procul stiterunt; Interim Classis Arimensis onerariam insequitur, & frequenti scloporum displisione inutiliter velitabatur; nam oneraria è superiore loco certante tormentisque maioribus aliquoties detonante plus accepit mali quam dedit: interim anchoras denuo abiecerat oneraria ventis prohibita, ibique biduum substitit, nihil ventis de pertinacia sua remittentibus: huius bidui noctibus acriter ab Arimensi classe sed eodem euentu semper certatum, neque enim plus profuerunt incendiariæ quas immittebat machinæ: quàm immissæ in onerariam glandes.

Et iam Epiphaniæ Domini peruigilium aduenerat, & venti non nihil posuère, tametsi nondum fugam suadentes; cùm noctu statuit Arimensis Dynasta de oneraria litem dirimere & Iaponica ferocitate vincere vel mori. Conspirauerat cum eo Nangasaquiensis Gubernator,
cuius

eius maximè opera, supra colligata interse nauigia duo, erecta est machina in turris modum, trium contignationum, non inferior vt rebantur ipsius onerariæ altitudine, è qua æquo mar- te harpagonibus iniectis decertare liceret, & in onerariam penetrare. Remis agebatur machina, & in omnem sese partem facile flectebat: erat autem in eum instructa modum, vt ollis incendiarijs ab oneraria iniectis nihil detrimenti pateretur, & videbatur etiam tormentorum maiorum vim posse contemnere. eâ sic instructâ in prælium exijt Iaponum classis ducentorum nunc supra mille, præter eam multitudinem, quæ spectatura primùm, auxilium etiam, si opus foret, laturo sua sponte nauigabat. Conspecto inimicæ classis apparatu, Lusitani ventum, qui leuiter aspirans fauebat, ad eludendum hostem, amputatis rudentibus in vela receperunt. Verùm iam in conspectu classis citius remis aduolauit, quàm oneraria velis auolarit: inter Insulas pugnabatur, periculum erat à scopulis, periculum ab ipsis, in locis pluribus, syrtibus: Iapones igitur quanta vi possunt, onerariam oppugnant, sed eodem quo prius euentu: nam mortales multi ignibus ex oneraria coniectis interibant. Verum vt tormentorum, saltem maiorum, vim falleret, animaduerso puppim tormento vnico nec maximo defendi, ad eam sese nauigia receperunt: ventorum enim importuna clementia

B

non

non satis ad flectendam qua vellet nauim, vir-
 um velis ministrabat; vniuersa igitur belli vis
 in pupim recepta, eo grauius quo concordius
 oppugnabat, maxime turrata illa machina, in
 qua spes omnes collocatæ videbantur; harpo-
 gones ingerere laborabat, & fecit denique rece-
 pra tormenti maioris glande, sed impunè ferè
 transmissa: ergo in posterum ex æquo ferè pu-
 gnabatur, tametsi oneraria adhuc non nihil emie-
 nebat. vicissim offensi offendebant, è machina
 Iapones duo audaciores in onerariam infilie-
 runt, sed breui audaciæ pænam in conspectu su-
 orum persoluerunt: etiam eundem exitum for-
 titi sunt, qui à puppi in onerariam per pergulam
 irrepserant, eo res igitur erat loco, vt iam expug-
 nare se posse diffiderent, ideo maximè, quod
 sensim nauis ex Insulis educta, in alto mari supe-
 rioribus plane legibus erat dimicatura, neque e-
 nim nauigia tumidiores fluctus, prælij maximè
 tempore, patiuntur.

Verum enim vero Diuinorum iudiciorū se-
 creta vis de hac oneratia sententiam tulerat aliã,
 quàm mortalis animositas promittere videba-
 tur: nam Sclopo minore glans emissa in ollam
 incendiariam, quam è Lusitanis vnus manu ge-
 stabat, ignem accendit: qui vicinum in puppi ve-
 lum occupans in eo libere vagabatur, ad eum re-
 stinguendum vela submissa, quem conceperant,
 ignem in onerariam accensa pice nautica spar-
 runt, & serpens ignis in vicinum pulueris tor-

mentarij vas euasit, & ita incendium auxit, vt iam extingui minime posse videretur, maximè quod externa vis intestinos ignes sopiendi nullum spatium relinquebat. Itaque iam vniuersa puppis ardebat, & fumus omnes ab ea fugans in proram euocauit, vbi de morte potius Christianè obeunda, quàm de repugnando cogitatū. cum ante oculos tristi spectaculo triplex mortis inuitabilis genus instaret; ignis, aqua, ferrum, Præfectus ipse crucem complexans, Deo gratias egisse fertur, quod se ad huiusmodi lethi genus reseruasset: inde consilio sanè desperato (iudicet de eo qui voluerit) in pulueris tormentarij cellulam ignem imitti iubet, ne fortasse merces onerariæ in hostium potestatem deuenirent; aut vt breui morte lentam suorum internecionem maturaret. Ergo cõceptis flammis bellicū sulphur, vno impetu naui compagem ita dirupit, vt subitis fluctibus hauriretur, & vicina etiam nauigia mali cõmunionem grauiter lacerarentur; atq; hoc maximè modo Lusitani pereuntes, magnū animi sui nomen tota Iaponia euulgarunt: ipsi enim, quæ in suis facinora laudant, in externis etiam admirantur. Pleriq; Lusitanorū arserunt: aliqui etiam fluctibus hausti sunt, ac cæteri prout natates reperiebatur, Iaponū gladijs icti vicinos fluctus suo sanguine purpurarunt, nouem fere Lusitani commune malum Iaponiorum aliquot misericordia euaserunt, præter mancipia nautasque Indos, qui onerariæ succendium

præuenientes in mare defilierant, & in Iaponum nauigia recepti fuerant. solos enim ad vindictam classis illa petebat Lusitanos: è Iaponu classe dierum illorum velitationibus ac prælijs supra centum perierunt, & longè plures saucij atque semiusti ad suos redierunt: è Lusitanis verò ante commune illud malum sex septemque Lusitani & aliquot mancipia perijsse memorantur: eos inter, qui tristi letho absumpti sunt, inuentus est è Diui Augustini familia Hispanus sacerdos, qui quod Amacaum cogitaret, in nauim à Præfecto fuerat euocatus, eius cadauer in ripam eiectum, à nostris communi sociorum sepultura conditum est, post iusta funebria eo ritu præstita, quo nostri ordinis homines consueuimus. Præfecti corpus armorum pondere ad ima delatum, deinde nusquam apparuit.

Hoc tristi Lusitanæ nauis infortunio, fortunæ omnes, spes plurimæ demersæ sunt, & vulgo perhibetur, auri (vt vocant) millionem in vna oneraria perijsse: ac tametsi varijs artibus à mari absumpta repetuntur, nihil tamen magni momenti educi potuit ad victorum lætitiæ cumulandam. Hoc tristi casu, vt cætera, quæ non ago, silentio inuoluam, Iaponiensis Ecclesia mirè concussa est. primum enim speratum iam biennio toto subsidium interiit, & cum eo spes propè omnis huius expeditionis sustinendæ; Itaque dissolutum necessario Arimense seminarium,

nariū, Alumnis per reliquas sedes sparsim ad suos dimissis; quanquam ij aptissima sunt sociorū adrem Christianam promouendam instrumenta: aliquot sociorum sedes contractæ: ita tamen vt rei Christianæ administratio minimè tolleretur, sed incommodior redderetur: & neque sic antiquum tenuissemus, nisi Iapones Neophyti audiram nostrorum tenuitatem, supra vires pro se subleuassent. Itaque plerisque in locis, tametsi angustia rei familiaris prohiberent; maluerunt tamen de necessario sumptu detraxere, quàm animorum auxilijs repente priuari. Hocigitur monuisse vniuersim satis sit, ne toties eadem Neophytorum beneficia, non sine fastidio repetantur, quam ipsi toto hoc triennio pari semper ardore retinuerunt.

Non stetit huius infortunium Ecclesiæ in hac rei familiaris tenuitate; nam constans erat rumor, quo tempore in vrbs conspectu vltimo die certabatur: si fortasse nauis elaberetur vniuersam mali molem in nos ædesque nostras refundendam. Itaque Neophyti aliquot iam domum suam ad cælandos nostros ac furentium telis eripiendos offerebant: verum placuit omnibus Diuinæ sese Prouidentia committere, & mortē si Deo ita cordi esset operiri, ad quam continua per eos dies oratione cæterisque corporis afflictationibus sese strenuè compararunt, nec tamen hoc satis fuit ad Neophytorum me-

tum compescendum, officiaque reijcienda; postmodum enim compertum est, ex eis complures nostris inscijs vicinas edes cum armis occupasse, vti nostros à redeuntium è prælio furore, si opus esset, tuerentur: verum enimvero res omnino pacatius omnium opinione transierunt: admonitus enim de re tota Imperator, ita mandarat, vt si naus elaberetur, Lusitani quot quot in terra reperti fuissent, mactarentur: Episcopus cum nostris exularet. Verum hac Præfetti cum suis morte & onerariæ incendio mitior factus, amicorum precibus cessit, vti cæterorum vitæ parceretur, socijque antiquas sedes retinerent: ad quam indulgentiam animi sæuientis imperrandam, dicitur Arimensis Dynasta multum adiuuissè, fortasse vti malefacta resarciret, & priuatas iniurias, non rem Christianam persecutus fuisse videretur.

1611. Alterum quo cælestibus prodigijs insequentis anni mala præsignificata sunt, cruces duæ fuerunt in arboribus admirabiliter repertæ: quod ita scribitur accidisse. Cori ditio est in Vomeræ terris sita, longa est leucam vnâ, dimidiâ lata, pagos habet aliquot, è quibus vnum incolit colonus quidam Neophytus, Fabianum vocant: is agrum habet tritici feracem in pago Ixibaxiri; eo in agro arbor quædam, quam Iapones Caquinoqui vocant, Lusitani Iaponientem
ficul.

ficulneam, ex eo quod fructus habeat molles, qui etiam passi ad instar ficuū conseruantur, truncus tamen perdurus est, & multum à ficulnea nostra differt, bienuiū iam arbor infrugifera erat; Fabianus igitur eam amputat, trunco ad domus columnam, ramis ad focum vsurus. truncus ad solem expositus annum integrum exsiccabatur; tandem octauo Idus Decembris anuo 1611. ascia illum dedolans, decussis assulis in area proiectis, ad focum hyemali tempore alendum, ecce tibi, aduertit, in vno ex hisce fragmentis esse crucem atrii coloris expressam in albi coloris trunco, quo conspecto filium accersit: vide inquit, Paule, sit ista crux nec ne? crux est plane (ait) & prodigiosa: Attoniti ambo agere cæperunt quid ea facerent: filius Parenti suggestit, vt eam taciti asseruarent, non videri eo tempore comòdum, rem istam euulgare, futurum aliquando vt eam securius proderent. Hoc ipso tempore in ædes Fabiani aduenit Germanus eius Laurentius, cuius etiā testimonio ea crux supra naturæ vires prodigiosa; & quod indecens esse diceret, rem eam ita haberi, loco honestiore asseruauit: biduū ea crux ibi resedit prius quàm euulgaretur, quæ tandem vxoris Pauli iudicio prodita est: etiam hinc secretum agrè seruat fæmina; postridie quippe Neophytus quidam Michaël nomine in eadem ædes venit; huic Fabiani Nurus secreto quidem, sed tamen narrat, prodigiosam crucem a arboris fragmento repertam, ac simul eam

exhibet, & huic quoque visa est præter naturæ ordinem mirabiliter expressa; erat enim in intimo trunco omnibus suis numeris absoluta; longa palmum vnum, brachijs vtrimq; cū titulo Crucis effingi solito, iustâ symetriâ, crassities vbiq; sibi similis, ad quam effingendam ars humana nulla ratione poterat intimum truncum penetrare. eam Michaël ad Pagi sui Neophytos deferendam petijt, sed non impetrauit, abiens Neophyto, quem primum inuenit, rem narrat, qui tanta cupiditate visendæ crucis exarsit, vt totam eam noctem propè insomnem duxerit, ergo cum primum illuxit in Fabiani domum aduolat, crucem vt vidit, stupuit & adorauit, & ad ægram parentem suam deferendam impetrauit ea lege, vt mox restitueret: sed cum ea res, vt fit, erupisset ad Crucem visendam vniuersi Neophyti conuenere, magnus fuit omnium stupor, magna veneratio; & quidem is qui Pagi Princeps habebatur, tanta est admiratione defixus, vt assereret, tametsi nihil aliud in vniuersa lege Christiana reperiret, quod in ea veram esse salutem confirmaret, id tamen vnū sibi videri esse ad persuadendum satis. eodem in Pago Neophytus quidam quartana febris laborabat, cui sanitatem restituit aqua post huius ligni frustillum iniectū, epota. His auditis, Fabianus quem repererat thesaurum, cæpit pretiosius æstimare, crucemq; suam sibi restitui re-
poscebat.

poscebat. Interim res ad vnum è nostris, in Fudojama sede, quinque leucarum itinere, commorantem defertur à Neophytis, asserentibus rem sacram apud Laicum hominem minus decenter asseruari: aberat domo sacerdos noster, sed solus qui aderat accurrit; inuenitque iam Crucem Fabiano restitutam, & publicè, vt ab omnibus coli posset, expositam. voluit socius crucem sacerdoti nostro deferre, sed nullis precibus impetrauit; causabatur enim eam rem ita euulgatam, vt sine dubio ad Dynastam breui perueniret: vereri se, ne si eam extra illius fines, regulo inconsulto transmitteret, fore vt ab eo multaretur, addebatque alia multa, quæ ipsi in crucem pietas suggerebat; ergo sine cruce, sed non sine solatio domum redijt. triduum aliud in domo Fabiani crux ea tenuit, tanto Neophytorum concursu, vt pæne obrueretur: neque enim è Cori solum ac Vomua, sed ex alijs quoque pagis trium, quatuor, & quinque leucarum itinere concurrebant: omnium erat eadem admiratio: eadem in cruce colenda contentio, nec nulli Fabianum ipsum oriza, nummis, oleoque ad concinnandam lucernam sponte donabant.

Concursus iste tenuit à Sabbato in feriam tertiam: tum enim matutinis horis aduenit à nobili matrona Mauca Vomurandoni Dynastæ sororem: religiosaque fæmina huius Ecclesiæ columna, nuncius ad Fabianum: vt eam crucem

B 5 extem-

extemplo ad se deferret; detulit eam Paulus, nam parens ætate prohibebatur: non abest Vomura leuca tota, tantus tamen fuit excitorum fama concursus, quibus ex itinere satisfacere cogebatur, vt non nisi nocturnis horis aduenerit. Crucem Nobilis matrona magno cultu excepit, & vna cum alijs, qui plurimi adfuere, Neophytis venerata, magnificè asseruauit. Ex crucis veneratione truncum vniuersum in pretio habere ceperunt, maximè posteaquam accepissent, cocontrito dilutoque, plurimos tertianas aut quartanas excussisse: vnde qui frustulum eius fragmenti, in quo crux erat, obtinere non potuerunt ad ipsum truncum qui etiam tum humi iacebat, refugerunt, quem ita conciderunt, vt exigua mora qui adueniebant, ne truncum quidem inuenirent: ergo ij ad radices conuersi eas penitus extirparunt, vsque adeò, vt cum duo è nostris sacerdotibus visendæ crucis causa Vomuram aduenissent, optassentque eius arboris frustulum: qui missus in Cori pagum fuerat, ne radicum quidem fibras reperiri nunciarint: tanta fuerat illorum Neophytorum orta ex pietate auiditas. Nec mirum ita exarsisse Neophytos, cum ipsi Ethnici inanumque Deorum sacrificuli Christiani nominis hostes capitalissimi, de ea cruce inaudientes, assererent; rem humana maiorem ac cælestem videri, & subinde accedit res noua, quæ admirationem auxit:

nam cum viri primarij ædes à dæmone , nocturno tempore ita infestarentur , vt nullum in vlla re præsidium inuenirent, eam crucem sibi dari exorauit, donec eius præsentia Dæmones fugarentur, noctem vnam cruce potitus est, nec vltra Dæmones eas ædes molestarunt.

Longius deinde sese crucis fama sensim diffundebat, & iam in oppidum Nangasaqui peruenerat, & quoniam ea crux pro miraculo habebatur & colebatur, suarum partium esse iudicauit Episcopus, eam rem excutere ac ritè statuere, an pro miraculo haberi posset & coli: Crux igitur ad eum delata est; aduenere testes ij, qui nouerant qua ratione ea prodijisset. è testibus iuratis excussa res accurate, deinde cum doctis viris & pijs deliberatione habita, ex præscripto sacrosancti Concilij Tridentini pronunciauit, eam crucem pro miraculo haberi ac coli posse & debere: & quia Urbani quoq; Neophyti eius visendæ & colendæ desiderio flagrabant, Antistiti visum est, externo aliquo apparatu prodigiosam demonstrationem merito prosequendam. Ergo solemnè ritu sacris de Cruce votiuis operatum est; è superiore loco sermo habitus, quo sermoæ qua ratione sacra illa crux prodijisset, & quibus effectis, deinde admirabiliter eam Dominus cononestasset, cū fide narrabatur: tum circum templi porticus
suppli-

supplicantium pompa instituta: qua in pompa
 Præpositus Prouincialis fragmentum illud ad-
 mirabili cruce insignitum, ac decenti iam orna-
 tu compositum, sub conopæo gestabat, quod
 ipsum Conopæum vrbis primores deferebant;
 Comitabatur episcopus, & socij quotquot ade-
 rant omnes, magna fuit concurrentium Neo-
 phytorum multitudo, quibus vt satisfaceret, to-
 tum eum diem in Ara gestatoria Crux ad spe-
 ctaculum cultumque exposita visebatur.

1612. Alia crux etiam admirabilis Nan-
 quasagni reperta in suburbanis nostræ societa-
 tis ædibus, quas ab Omnibus Sanctis appellant,
 ædes ibi sacra antiqua est, & prima inter omnes,
 quæ postea plurimæ hic assurrexerunt; in infe-
 riore ædium atrio, Iaponiensis vt superior ficul-
 nea visebatur, è cuius trunco rami duo, velut
 brachia, protendebantur, iam biennium ramo-
 rum alter tres palmos crassus nullos fructus da-
 bat, & vitem qua parte vmbra faciebat, à fru-
 ctu quoque faciendo impediabat: ergo ramum
 illum, qui residebat ibi sacerdos noster amputa-
 ri iubet; tres fere menses iacuit inglorius trun-
 cus, donec sexta quadam feria, altero die mensis
 Martij anni 1612. famulus domesticus lignis in-
 digens, securim arripuit, & findere ramum cæ-
 pit: & ecce altero iectu tenue fragmentum exi-
 lit digiti crassitudine; eo nihil aduertente, quod
 in fin.

in findendo ligno occuparetur. alumnus quidam forte aderat: qui in eo trunco atrii coloris crucem conspexit, sed minus distinctam adhuc & expressam, ergo inclamans famulum, vt tantisper abstineat manum, inde fragmentum arripit, in eoque crucem bipartitam videt: præcipua pars & expressior in crassiore trunco, altera in aduerso fragmento videbatur, securis enim crucem mediam in longum diffiderat. ad eius conspectum, & alumni clamorem, domestici omnes accurrunt, ac metu quodam sacroque horrore correpti, vtrumq; fragmentum in quo cruces erant, ad Patrem deferunt, rei ordinem enarrantes: visa ea exultauit, sed & illud aduertit, eo die potissimum, sexta vt dixi feria, prodixisse, quo etiam sacris ipsemet de Dominica passione votiuis fuerat operatus. eius hic erat modus. In ipso trunco non plane interiore, sed intra superficiem, digiti latitudine visebatur, & mirum videri poterat, quod eam crucem tenuem & exilem, fere quanta est chartæ quater quinquiesue complicatæ crassities, securis inter findendum nihil læserit, sed eam ita diffiderit, ac si compaginas tabulas dissoluisset, nulla neque in longum neque in transuersum laceratione; eius longitudo erat quatuor fere digitorum transuersorum; brachia crucis etiam ac titulus suam habebant symmetriam & eadem erat crassities, omnium idem color: verum in titulo

Crucis

crucis nullus character visibatur. His omnibus accuratè perpensis, nihil dubitavit Pater eam crucē prodigiosam esse, & idem quotquot eam videre, Laici ac religiosi iudicarunt; Idem Antistiti, re vt prius excussa, visum: idem quod de Vomurana pronunciatum, quoniam in vtramq; eadem occurrebant: quibus conficiebatur, eam crucem naturæ artisque vires superare, atque in hunc maxime modum ambæ cruces hæ admirabiliter hoc tempore prodierunt. prior eo in loco, vbi annis superioribus ædes, inuentæ Cruci sacra visibatur; altera in æde huius Ecclesiæ antiquissima: vtraque in ficulnea eaque infrugifera, vt maiorem pietatis fructum daret. Quid his prodigijs portenderetur tum quidem ignorabatur; qui tamen proxime sequentem legerit ad hos commentarios appendicem, nihil vt arbitror dubitabit, quin hæ Christi crucis demonstratio, impendentem persecutionis procellam, Christiq; crucis imitationem præmonstraret.

Atque hic maxime publicus fuit Iaponiensis Ecclesiæ status, toto eo, de quo agimus, triennio, qui etiam clarius constabit, postquam inspectis singulis, omnium rerum facies clarius elucebit: quod mox fiet vbi societatis nostræ statum capite sequenti simul vniuersum exhibuero; cum enim maximè nostris hæc legenda scribamus, iustum est, socijs, sociorum in remotissimis Regionibus statum, renunciare.

De

De Societate nostra uniuersim,

CAPVT III.

Iaponia Prouincia societatis nostræ ad orientem extrema, ad annum vsque humanæ salutis, millesimum sexcentesium vndecimum Goanæ Prouinciæ subdebatur, in India Orientali vice Prouincia nuncupata, aucto demum sedium ac sociorum numero, cum & locorū spatijs & nauigandi tarditate perincomodè ab Orientis superioribus regi posset, visum est Præposito Generali societatis, Claudio Aquauiuæ, quæ Deus sospitet, eam Goanæ curæ eximendam, & Prouinciæ nomine cohonestandam, ea porro constat non è Iaponia solum, sed è nostrorum quoque apud Sinas expeditione: illius, eum vice Prouincia diceretur, plures annos moderator fuerat P. Franciscus Pafius Italus; is appellata Prouincia visitator est renunciatus, eo consilio maxime, vt Amacaum re nauigans Sinensem expeditionem moderaretur ac viseret: Amacaum venit, sed breui morbo ac morte prope repentina, tum maximè sublatus est, cum sese ad Sinense iter accingeret. Iaponiæ Præpositus Prouincialis primus est renunciatus P. Valentinus Carualius Lusitanus, qui hætenus eam Prouinciã in magna rerum varietate sapientissime moderatur. De huius Prouinciæ parte, quæ Sinas tangit, alius fuit dicendi locus: de Iaponia sola nunc ago.

In

In ea nostri hoc triennio centum supra triginta initio, sub finem, infra paulò, numerati sunt: nam eo toto tempore desiderati nouem, sociorum numerum minuerunt. hi è sacerdotibus Europæis constant plus minus sexaginta: cæteri sunt Iapones, partim sacerdotes, partim rerum domesticarum adiutores, è quibus etiam duodecim ferè sunt Europæi, quanquam hic ita illi rem domesticam curant, vt plerique tamen, maximè Iaponij, ob linguæ peritiam Catechisticas conciones & cætera rei Christianæ adiumenta procurent: hi omnes continentur Nangasaquiensi Collegio, Arimensi, Miaceno domo, seminario quoque Arimensi, ac Nangasaquiensi tyrocinio; alijsque triginta sedibus, (Residentias vocamus,) tota Iaponia sparsis: exiguus sane numerus, si messis amplitudinem innumerosque labores spectaueris: sed rei familiaris angustia nos in tam arctum constringunt numerum, plures essemus, si foret vnde viveremus. Omitto nunc de superstitionibus dicere memoriam vitæ defunctorum renouabo. Et quia mortui tutius, ideò etiam laudantur vberius.

De singulis igitur eo ordine quo diem suum obierunt, pauca de multis adferam ad virtutis encomium, ac studium imitandi. & primus quidem, qui ex hoc triennio diem clausit extremum ex indigenis socijs adiutoribus, senex fuit, annos natus nouem supra sexaginta, è qui

è quibus nouē & quadraginta in societate vix-
 xat, & maximè in Cami partibus (ita vocantur
 ditiones Miacensi regiæ vicinæ) rem Christia-
 nam magnis sudoribus procurarat, & insigni
 semper fructu, maximè quod Iaponienses litte-
 ras sectasque apprime callebat; vnde iam diu
 tota Iaponia notissimus erat, & magni semper
 ab omnibus habitus.

Alter fuit P. Organtinus Soldus, è ditione
 veneta, Brixianus, quatuor votorum in societa-
 te professus, Is ætate, annis in Religione & in
 hac vinea transactis, cæteros omnes superabat;
 septuaginta nouem ætatis numerabat: Religio-
 nis sex supra quinquaginta: rei Christianæ apud
 Iaponios procuratæ, annos duos & quadragin-
 ta: In regia Miacensi perpetuus prope superior
 fuit, ex quo Iaponiam attigit: si vltimum trien-
 niū excipias, quo eum ætas ingrauescens & varia
 ægritudo ad Nangasaquiensis domûs quietē re-
 uocauit, quod habuit ille tempus, solidam ad-
 vitam ita claudendam, vt sanctè traduxerat. o-
 mitto viri virtutem, animorum zelum, tot an-
 norum monumentis nota. Dubium certè vide-
 ri potest, vtrum ille Iaponios, an illum Iaponij
 amarent magis atque obseruarent, nec solum
 Neophyti, sed etiam Ethnici Reguli ac Dynastę,
 & quotquot eius tempore vixerunt Imperij Ia-
 ponienſis moderatores. Innumeri ab eo ex-
 antlati labores facile generosum viri animum
 C prodidere,

prodidēre, cūius maxime patientia perfectum
credi potest, quidquid in Miacensi potissimum
ditione perfectum gratulamur, nam sine mili-
tis iniuria præclara facinora Ducibus tribuūtur.

Ad has publicas viri virtutes priuata sui ipsi-
us demissio, & contemptus eum domi vulgoq;
earum & admirabilem exhibebant. Hoc trien-
nio quod mortem præcessit, labores pro animo-
rum salute susceptos, continuæ orationis suauis-
sime leniebat, maximeque sibi placebat in Do-
minicorum tormentorum contemplatione;
quam ad rem otium illi dedit senilis morbus,
aut potius fatiscentis naturæ defectus. Mortui
aut suauissime potius obdormientis transitus, ac
sepultura, magnæ Neophytorum sensu frequē-
tibusque lacrymis, maximè cum in Miacensi-
bus plagis nuncius auditus est, excepta fuisse
narrantur: quem enim viuum vt parentem fue-
rant profecuti, mortuum quoque pari doloris
sensu exceperunt.

Tertius scribitur fuisse Matthias Quitem ex
indigenis socijs, rerum domesticarum adiutor.
Is è triginta nouem annis sex Deo peculiariter
in societate consecratur. Huius mors audita
prope citius fuit, quàm formidata, neque enim
diem vnum ægritudo superauit. Desiderium il-
lius fecit ad societatis auxilium industria, &
præclaræ animi dotes, quibus præditus videba-
tur nō parū posse prodesse. Quartus societatem,

vt speramus, in caelos aggregatam auxit P. Franciscus Paiua Lusitanus, societatis professus; maximam ætatis partem societati nostræ consecravit: è nouem supra triginta, tres ac viginti Religionis labores; ex his nouem Iaponiensis vineæ tolerarat: degebat in Miacensibus plagis in domicilio Vozacensi, iactura fuit ex viri virtute, dotibus, ætate, quæ omnia longiores fructus promittebant: magna industria Iaponios tractabat, & eorum sibi beneuolentiam religiose conciliabat. ad mortem generali peccatorum exomologesi, per otium ita sese comparauit, vt in articulo maximè omnium formidabili, summam repererit pacem & quietem: sed operæpretium videretur epistolæ fragmentum, qua eius mors nunciabatur, inserere. Bonus P. Franciscus Paiua ad Deum fruendum felicissima morte concessit. Domi tantum sui desiderium reliquit, vt puerorum prope instar in lacrymas effusi domestici omnes, orbitatem lugerent suam, vix in percurrendo, de more, funebri psalmorum officio, lacrymæ singultusque vocem permitebant: Delatum in ædem corpus, Neophyti tanto impetu obruerunt, vt auelli non possent: eiulatus fuit vsq; adeò comunis, vt in vicinos vicos eruperet, sed maximè cū funebri oratio haberetur: nihil enim simile me audire à populo memini, cū de Christi passione ab Ecclesiaste sermones habentur. & quoniam è Vozacensi domicilio

C a ad Miæ

ad Miacensem sepulturam transferebatur, eodem sensu doloris, bono Patri denuo parentatum est; Neophyti quoque Fuximenses, & maxime vir Nobilis ex ijs, Patri per amicus extorsit, vt tertio illi iusta funebria curarem, quo die è Iaponiensis Ecclesiæ consuetudine egenos complures epulo excepit, & alia eleemosynæ nomine ad memoriam defuncti distribuit. Hactenus epistolæ fragmentum.

1610. Superioribus adiunctus est numero quintus, P. Ioannes Milanus Lusitanus, Goæ tamen in India natus, rerum spiritualium strenuus adiutor, ætatis anno quinquagesimo primo, societatis quarto ac trigesimo, quos omnes, excepto probationis biennio, in hac expeditione consumpserat, & annos viginti ac septem continuos alumnis Arimensis seminarij educandis, ita præfuerat, vt cum omnium approbatione fructuque alumnorum res administrarit. & mirum est, cum tot annorum spatio, æquè semper ab alumnis dilectum atque obseruatum: habebat ille se non pro Patre solum, qui animû, sed qui corpus studiosè curaret: satis certus, quanti esset in hac ætate ad virtutem educatio. Ægrotudo fuit sanè diuturna, & quoniam ad imperitos in Iaponia medicos, nostratis pharmaceutici accessit inopia, in Collegium Amacaense iussus à superioribus nauigauit: sed cum neque
ibi

ibi pertinaci malo remedium inueniret, satis certus extremum sibi diem instare, properauit in Iaponiam regredi, vt vbi vixerat ibi inter Alumnos suos moreretur: paucis post reditum mensibus extinctus est, cum prius se studiose in id comparasset. Cuius obitum magno doloris sensu alumni omnes, vel qui aderant, vel qui audierant, exceperunt: omnes enim ille suis beneficijs, ac suauis educatione obligarat.

1611. Eum postea consecutus est Pater Anthonius Corderius Lusitanus, è spiritualium adiutorum numero, annos natus tres & quinquaginta: è quibus triginta societati, vnum ac viginti huic expeditioni dedicarat: peculiaris fuit in eo indefessi laboris sedulitas, multis alijs ornata, vel potius prognata virtutibus: annua fuit ægritudo, quo tempore plus pænæ à remedijs acribus, quàm ab ægritudine perferebat, sed vtrumque tanta semper animi æquitate, vt non sine admiratione spectaretur: abiit tandem, vt speramus, ad superos ibi quietè æternùm victurus, cum hîc vitam modicam dolores interciperent.

Hunc consecutus est ordine septimus P. Petrus Raymundus Arragonensis Cæsaraugustanus, societatis nostræ solemniū votorū professus, annos natus vnum & sexaginta, è quibus quadraginta societati, Iaponiæ dederat quatuor & triginta. Vir erat rerum spiritualium

C 3 — studio,

studio, orationi & cū Deo apprimè deditus: De quicquā Diuini cultus promouendi ardore neq; postremo vitæ suæ anno, valetudinis causa intermisit: præmatura mors eius, etiam in ea ætate visa est. Octauus successit P. Petrus Rodericus Lusitanus, ex oppido Amacaënsi, annorum quatuor & quadraginta, è quibus triginta totos in hac excolenda vinea posuerat: sexdecim alumnus; reliquos in societatem cooptatus, egregiè se semper socijs probauit, sed ex quo Religionem profiteri cepit maxime, proximorū auxilia semper magno fauore procurans phthisi interijt, eaq; non diuturna, sed bene comparatus: iam enim annos plures, breuem sibi vitæ cursum promittebat.

Nonus ac postremus fuit P. Gregorius Decespides Castellanus Madritensis, è rerum spiritualiū adiutoribus: ætatis años sexaginta numerabat, in vitæ societatis duos supra quadraginta, Iaponiensis vineæ sedulo excoltæ quatuor ac triginta: Animi sui zelum tractandorūq; animorū industriam in regno Bugen maxime prodidit: eam enim ille Ecclesiam plantauit ac rigauit & Dominus incrementū dedit, etsi nō quale optabat: nam totius ille regni conuersionē ingenti ardore deuorauit: verū eam illi^o regni, & priuatim Dynastæ peccata, minimè merebantur: ei^o mortem quia repentina, & ea quæ ipsam consecuta sunt, maroris plenā effecere. E Nangasaquiensi
Colle

IAPONICAE.

Collegio ad suos Neophytos redibat, salutato
 nouo visitatore Prouincialiq; Præposito: vix do-
 mus limites attigerat, cum à nostris solito amo-
 re exceptū, repente oculorū acies destituit: ad eū
 dein sustinendū, eum è socijs vnus, ne laberetur
 accurreret, vix tres passus emensus, in terram ru-
 it, suoq; casu eundem traxit à quo sustinebatur:
 nec plura locutus, quam secundo ac tertio, Deo
 gratias, in socij vnus, & in Neophytorum pluri-
 morū conspectu, qui ad eum excipiendū conue-
 nerant, expirauit. id accidit die dominico mar-
 tinis horis: quo tēpore iam sacra ædes Christia-
 nis ac mulieribus exundabat, ij cū de subita
 Patris morte, quē excipere viuū gestiebant, in-
 audissent, omnes ad spectaculū concurrere atto-
 niti rei nouitate, orbitatē suam merito deplorā-
 tes, Patris cadauer, in Collegiū Nangasaquense
 reuehendum erat: neq; enim per loci Dynastam
 ibi terræ mandare sinebatur: Interim dū in arca
 clauditur magnus fuit ad illū visendū Neophy-
 torum concursus, quē neq; ipsa nox interrupit,
 & visum est socijs, ex Urbanis illis Neophytis,
 neminē defuisse: hi omnes mæroris signa, quæ
 poterant, edebant, multi ad eius pedes prouolu-
 ti, eos deosculabantur, cōplectebantur, ac suis e-
 tiam lacrymis irrigabant: auct^o est etiam doloris
 sensus, cū Patri iusta persoluerentur, talis enim
 planctus fuit, qualem filij solent in obitu Paren-
 tum excitare: geminabatur luctus ex eo maxi-
 mē, quod eius morte coniectarent, se reliquis
 breuā

breui socijs carituros: hoc enim iam ipse Dynasta prædixerat, cum eo videlicet Patre rem Christianam in suis terris interituram. Permulti pro eo, quod eum sanctitatis nomine suspiciebant, petierunt sibi dari quippiam earum rerum, quibus ille utebatur, ut eius apud se memoriam cōseruarent. Huius inter cæteros maximè, quos desiderari hoc triennio scripsimus, mors desiderium fecit. non ideo solum quod similibus operariorum penuria maximè laboramus: sed quod illius Ecclesiæ incolumitas ex huius vita pendeat, id visum est mox simul atque oculos clausit, maximo omnium mærore, Diuinorumque Iudiciorum admiratione, prout suo loco narrabitur. Hæc de mortuis: viui quas habuerunt vires, in frugiferis laboribus collocarunt; sed sui quoque memores, annuis è B. P. N. præscripto commentationibus, spiritum feruoris attraxerunt, & contractum puluerem excusserunt.

*De Nangasaquiensi Collegio ac
reliquis ibi nostrorum sedibus.*

CAPVT III.

NAngasaquium Lusitani commercij sedes, & Iaponiensis Ecclesiæ caput, varia habet nostrorum domicilia, quibus in omnibus, è societate nostra hoc triennio vixerunt summum
quinq;

quinque supra quinquaginta; minimum duo supra quadraginta: è quibus viginti & plures erant ferè sacerdotes. De singulis sedibus non ideo pauca dicam, quod non multa dici possent, sed in sedibus diu constitutis, cum omnia suum cursum tenent, paucis multa decet comprehendere: nam etiam optima quæque sæpius repetita, nauseam pariunt. In Collegio igitur duplex fuit nostrorum in re Christiana procuranda labor, altero Neophyti excoluntur, altero Ethnici ab idolis auocantur. Neophytorum ardor subiectis semper adhortationum ignibus fouetur & crescit; sacramentorum frequentia, quotannis frequentior: peculiare fuit asseruandi publico in sacrario augustissimi sacramenti institutum; id hætenus iustis ex causis non fuerat, nunc quia nouum pietatis studium innouauit, illud solemnè primum supplicantium pompa ab episcopo circumgestatum per publicos ciuitatis vicos (à quo iam diu nostri Gubernatoris Ethnici vitio abstinerant) in æde affabrè nobili sacrario recluditur, habentque in eo fideles è præsentia conditoris, reuerentiæ ac religionis incitamentum. Nihil de quadragenarij ieiunij concursibus, nihil de sextæ feriæ concionibus & applausu plangentium, nihil de publicis flagellationibus aliud dicam, nisi quod dicitur omittendo. Cum Ethnicis plus est ferè laboris, nec minus solatij. Urbis incolæ omnes, vt arbitror, sunt

C 5 iam

iam diu Christiani, sed quoniam è varijs locis ad Lusitani commercij lucra concurratur, nullo non anno insignis ad Christi gregem numerus aggregatur, qui hoc triennio toto excreuit ad ter mille octuaginta, ijs solū ad numerū adductis, qui adulti Christi sacra susceperūt: ab his deinde ad suos reuersis, Religionis nostræ sanctissimæ fama quaqua versus euulgatur, tam insignem in maritimo portu piscationem animorum, nihil ita promouit, vt Christiani oppidi sanctitas & Neophytorum in tenenda religione contentio. Hi enim è nosocomij instituto, è misericordiam profitente sodalitia, è templorū ornatu, è concursu ad ædes sacras, non indigna ratiocinatione legis sanctitatem metiuntur, cuius splendor eò magis enitet, quò propius cum Iaponiensium sectarum tenebris componitur.

1609. Duo sunt in quibus maximè Neophytorum pietas bis intra biennium enituit. Alterū est cum sæcularis aņi Iubilæum ac generalis criminum indulgentia, Iaponiensem Ecclesiam, cū suo capite tantis locorum interuallis vnitam, hoc demum anno recreauit, cuius euulgatio anno supra secularem nono, tota Iaponia discurret, ita distributa, vt operarijs vicissim ad expianda Neophytorum peccata succedentibus, commodus esset ordo, in tanta operariorum paucitate: eius in hoc solum domicilio meminimus, eiusdem quippe rei similitudo, pro locorum varietate

tate diuersa, colligi æque potest ac narrari: si quid alibi erit illiustrius, id solum comemorabitur. In hoc igitur oppido, Neophyti planè omnes sese ad eam indulgentiam obtinendam, præscriptis legibus accinxerunt: pleriq; tamen vniuersæ vitæ, vel plurium annorum, conscientiarationem à memoria repetiuerant. ieiunia, largitionesq; elemosynæ nomine collatæ, ab ijs etiam vsurpabantur, & egenorum quidem è vicinis socijs ad misericordiæ famam concurrentium, tanta fuit multitudo, vt Ethnicos cõplures prouocarit: non fuere pauci, qui præscripta pietatis opera, per varias hebdomadas repetita, ideo iterabant, ne quo fortasse vitio tam insigni beneficio priuarentur. incredibilis fuit per eos dies sociorum labor, sed cælesti solatio delinitus, cū viderent, id in vltimis Orientis finibus esse cõpletum, quod in Euangelio legimus: alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus Pastor.

1611, Alterum in quo postea insolitus Religionis ardor eluxit, est, cum solemnī pompa B. Parentis nostri Ignatij, in Beatorum numerum recensio, primū est apud Iapones celebrata, cuius celebritatis læticia, singulas nostrorū sedes peruagata, totius Iaponiensis Ecclesiæ pietatem inflamauit: ad omnes enim visum est pertinere. Beatum illū societatis IESV parentē, sacris officijs prosequi, à cuius filijs, ipsi post tot sæculorū tenebras

bras veræ fidei lumen accepissent: de qua celebritate in hoc solo domicilio scribam, è quo reliqua possunt coniectari; nisi si fortè quid peculiare annalium memoriam postularit. Apud Nangasaquienses igitur hoc maximè modo festiua fuit hæc prima parentis nostri celebritas, tametsi non pro eo, quod par erat, aut optabatur; nam socij, vrbis Governatorem Ethnicum veriti, de pompa remittere, quàm Ecclesiæ pecem indiscrimen adducere maluerunt. Primum è varijs sedibus Patres fratresque, & Alumni ad celebrandum eum diem sunt euocati; ædes, quo maximo potuit apparatu, ornata est. In ara principe B. Patriarchæ effigies collocata, pontificio ritu primæ vespere decantatæ, quadraginta sacerdotes sacris induti vestibus, Pontifici assistebant, quin etiam è familijs D. Dominici, D. Augustini ac D. Francisci Religiosi quotquot in vrbe commorantur affuere; insignis porro Musicorum instrumentorum concentus fuit, & piorum carminum quæ recens in beati laudem scripta fuerant, harmonia, & ea talis fuit, vt nemo sibi extremo in orbe, sed in media Europa versari videretur, post vespertium officium, per celebriores vrbis vicos supplicantium ordines explicantur, cum iam vicos, Neophyti exornassent, festoque apparatu complures aras, quæ transeundum erat, erexissent. Antistes noster sub Conopæo gestabat sanctæ Crucis sacrum frustu-

frustulum, vna cum reliquijs B. P. Ignatij, præi-
bat cum eius effigie, pretiosè adornata, Collegij
Rector, & post eum Nostri sacerdotes, fratres,
Alumniq;e, omnes sacris induti vestibus, pro
cuiusque gradu & ordine, modò psalmos, modò
pia in laudem B. P. carmina concinebant: post
hos vrbis pleraquè sodalitia sequebantur, sin-
gula singulis vestium symbolis, crucibus, vexil-
lisque distincta: sodalibus singulis manu cere-
os flosculis insignes gestantibus: multitudineq;
ipsa atque ordine magnum agmen splendide
educebant, pietate, silentio, modestiâ pom-
pam superante: qui deinde comitabantur, aut
è fenestris ianuisque spectabant, erant pene in-
numeri, ijque, quod summæ admirationi fuit,
sine tumultu ac strepitu, raro in cætibus magnis
euentu. Ethnici permulti ad spectandum accur-
rere: ille ipse primarius vrbis Gubernator Chri-
stianæ legis Hostis acerrimus, exijs vnus fuit,
qui totam eam pompam multis collaudauit:
aiebat enim se nihil simile alias vnquam per v-
niuersam vitam spectasse, aut se spectaturum
sperasse: ac si prius rescisset id parari, mandatu-
rum se, vti vici euerrerentur atque ornarentur,
& vt longius ea pompa procederet, ipse sibi the-
atrum ad spectandum excitasset, vt palam & per
otium omnia spectaret: rem enim ita sanctam
atque compositam decere ab omnibus attente
spectari, Hæc Gubernator. Sub noctem lucernæ
complu-

complures circum Collegij septa sublimioribus
 locis, vnde spectari possent, incensæ; idem Præ-
 sul suis in ædibus factitavit, & quoniam omnes
 intra varij coloris tralucentia inuolucra splen-
 debant, spectantium oculis blandiebantur. idem
 in reliquis vrbis templis, & vicis celebrioribus
 actitatum, quin ex altera fluminis parte eadem
 publicæ lætitiæ & gratulationis signa videban-
 tur. Die insequenti Missa pontificio ritu & appa-
 ratu itidem, celebratur, sacra concio Iaponicè ac
 Lusitanè habita intra ædem, celebritati finem
 imposuit, quamquam festis ignibus nox quoq;
 insequens, vt pridie tota colluxit: magna fuit o-
 minino illius diei alacritas, nec importuna ad la-
 ponensium laborum asperitatē temperandam,
 1609. Verùm è Collegio ad reliquas intra
 urbem Nostrorū stationes diuertamus. De
 Tyronibus, qui peculiari sub urbem in loco e-
 ducantur, septē ac decem emissis religionis vo-
 tis in veteranorum numerum transiērunt. Noso-
 comium solita sedulitate vrgetur. è nostris illud
 subinde duo: subinde tres moderati, ac tametsi
 videri poterat tristi onerariæ interitu in ægros
 collocatos sumptus vltra sustineri non posse; ta-
 men tanta fuit sodalium, qui hanc rem curant, in-
 sumā tenuitate liberalitas, vt superiorum anno-
 rū munificentia superarit, & constat plerosq; ex
 ijs tenuis copix, quæ in ægros cōtulere subsidia,
 sibi non superflua detraxisse: quo in genere mu-
 lieres

lieres è sodalitia, quæ muliebri nosocomium curant, palmam retulere: & vt omnes intelligerent, quam acceptum Deo esset hoc opus, sequenti argumento potest comprobari. Iapones in immani procella quidam, cum se viderent ad extrema deuenisse, visi sunt sibi nihil gratius se Deo facturos, quam vt à vectoribus in Nosocomij sumptum stipem colligerent, rati se clementiam Diuinam prouocatos, si eam in ægros exercerent. Nec mora, mare placatum periculo naufragos exemit, & in hoc ipso portu saluos & incolumes conseruauit, & animaduersum est, aliud nullum Nauigium ex ijs quæ hoc anno soluerant, patrium portum tenuisse.

Nosocomij sedulitatem sodalitia cui à misericordia nomé est, ita imitatur, vt noluerit superari. illi è nostris subinde tres, subinde pauciores Præfectos inuenio, à quibus sodales ijs in officijs, quibus miseratio vel in animum, vel in corpus exerceri solet, diriguntur, huic non à sodalibus solum, sed à Neophytis quoq; nihil hoc anno minus, plus etiam aliquanto quam superioribus oportuna stipe subuentum. E Neophytis vnus propinquam lugebat, vi repentina morbi, ante expiata confitendo peccata sublatum; ad eius animum, si fortè, vt verebatur, indigeret, panis eripiendum, sacrificia, pro mortuis votiua, celebrari cupiebat; sed obstabat res angusta domi: in Iaponiensi quippe Ecclesia salutari instituto, cum sacrificijs huiusmodi
stipem

stipem aliquam in egenos tribuendam coniungunt. Sollicitus hic de propinqui salute Neophytus, in ædem sacram venit, & alteram è durabus quibus amictus erat tunicis exuens, sacerdoti nostro, qui misericordiæ sodalitis præest, egeno cuiquam largiendam offert, uti sacrificiû propinquo impetret: Noster Neophyto sollicitudinem gratulatus, vestem reddit, quod nemo magis egeret; pro mortuo sacrificium celebrat simul blandè solatus, quod non ita multo ante, qui inexpiatus obierat, pontificiæ indulgentiæ liberalitatem fuisset consecutus.

His misericordiæ Christianæ salutaribus institutis, erecta hoc tempore noua aliquot sodalitia accesserunt. Nam præter Assumptæ virginis cætum, qui solitum pietatis cursum tenet, adiunctus est alius sodalium ordo, ab Augustissimo sacramento appellatus, huic occasionem dedit noua in hoc Mysterium pietas, ex quo publicè cæpit asseruari. Eius institutionis die, sodales talari rubra induti, & facem manu præferentes circum templi porticus explicato agmine supplicarunt. Quot mensibus solemnibus sacrificio intersunt, deque eo resecti participant, hoc sodalitis aucta est pietas, non diurnâ solum sed etiam nocturnâ sacri pignoris visitatione, quo tempore cum ædis ingressu arceantur, ad eius valuas prouoluti orationi operam dare nonnulli consueuerunt,

Ædes

1611. Ædes etiam sacra recens in antiquo
urbis cœmiterio excitata est, ad eam procuran-
dam sodalitiū ab Diuo Michaelē nuncupatū
eodem tempore instituitur, & nondum sodali-
tiorum finis. Coreæ contermini apud Iapones
plurimi in hoc maximè oppido commorantur;
ab ijs ædi sacræ area comparata, sacellum inte-
rim erectum, & sub D. Laurentij tutela sodali-
tium nostrorum hortatu institutum, vt hoc a-
liquando semine traduces in Coreæ regnum fi-
dei plantæ transferantur.

*E Nangasaquiensi Collegio so-
ciorum excursiones.*

CAPVT V.

NON contenti socij numerosioris in Iaponia
Collegij, Urbanis ad rem Christianam ex-
ercitationibus; longius excurrerunt: ac prima
quidem excursio fuit in Insulas Goto nuncupa-
tas, ad eas sacerdos vnus, ex more cum socio per-
uenit, Neophytos hoc annuo rerum spirituali-
um adiumento solaturus. Trimestre solet esse
spatium, quod vtiliter Neophytis confirman-
dis collocatur, nec in his stare solet fructus, pro-
lapsos aliquot, aut propediem lapsuros erexe-
runt confirmaruntque: ex Ethnicis verò centū
supra quinquaginta cæteris annumerati sunt.

D

nullus

nullus finis foret, si ablutos infantes, solutos criminibus pœnitentes, sacro pane refectos, dissidentes conciliatos, aliaq; innumera numerem,

1609. Hoc peculiare, quod ad secularẽ indulgentiam consequendam, ad erectas cruces varijs in locis decem, pro sacris, quæ deerant, ædibus stationes instituerunt. Eos inter, qui Christo recens aggregati numerantur, anus nonagenaria ætatis pertinaciam, quam Neophytæ filiæ non dum fregerat auctoritas, audito semel sacerdotis nostri socio, deposuit: sub discessum diuino consilio potius, quàm casu nuntiatur, vetulam quandam graui supra ætatem ægritudine laborare: excurrit eo socius, ratus eam è Christi grege ouiculam pastoris indigere, Ethnicam præter opinionem reperit, erroris & periculi admonet eo fructu, vt statim nutibus (illi enim ægritudo pene vocem interceperat) se monitis obtemperare præ se tulerit, mira res: id ætatis & ægritudinis mulier, auditis ab socio pro tempore legis Christianæ mysterijs reuixit, sibi que reddita in ædem venit, & ad Christianum gregem aggregata est.

1610. Non defuerunt tamen destituti Pastorum præsentia ouibus, immanes lupi, qui Christi ouile pœrturbarent: inter cætera impedimenta, quæ ministrorum suorum opera Dæmon, his Neophytis ad extinguendum fidei lumen

men obiecit, hoc, quod subiungo, facile fuit primū. Boues, nescio quæ pestis inuaserat ita fæda, ut paucis diebus multi interierint, ex ijs, qui ab Ethnicis possidebantur. Adhibiti in consilium coniectores, quid esset causæ, cur ea lues serperet, Ethnicosque propè solos, non etiam Christianos attingeret, iecere sortes impostores, vanoque ritu, multa inanes Deos deprecati, tanti mali causam & remedium explorarunt. Tandem inuenisse se asseruerunt Cami Cauari (idoli nomen quod fluminibus præesse fingunt) non posse iam, in nescio quo torrente, sedem figere; ex eo quod Christiani eum ponte strauissent, ut in ædem suam sacram transmearent. Eum antiqua sede pulsum iracundiâ furere, in armentata sæuire, breuique in ipsos homines sæuiturū: Eandem etiam esse causam, ægritudinis Camisamæ (uxor hæc erat harū Insularum Dynastæ) quam sine dubio perire oporteret, nisi pontem ac ædem euertant. Non difficile fuit vel Dynastæ vel indigenis hæc deliria persuadere, ergo ad placandam aquarum numen pons & ædes evertuntur, magno Neophytorum sensu, qui etiam satis verebantur, ne maiora mala impenderent. Sed clemens Dominus afflictis statim subuenit, Dæmonis technas aperuit, ædem etiam cum fænore instaurauit. Nam Camisama breui interijt, nec eam pontis vel ædis ruinæ ex oraculo seruauere. Armentorum quoque lues extincta,

naturali causa serpere desijt, ipsique Neophyti ab omni metu liberati, quem, si Camisama superstes fuisset, non ita facile excussissent. Ipsi etiam Ethnici euentu permoti prædicabant, ædis ruinas & iniuriam Christianis illatam, à summo Numine Tento (ita Iapones vocant) Camisamæ morte fuisse vindicatam. Nec ipse supersticiosus Dynasta abnuuit: nam pudore suffusus, quod contra spem se sui Dij sefellissent, maiora fortè mala veritus, summo ditionis suæ moderatori mandat, vti è Christianorum voluntate aream ædi extruendæ aptiorem designet, publicoque sumptu ædificet. Neophyti ad hæc exultare, de hostibus suis triumphantes, mire grati Diuinæ prouidentia, cuius potentia eos his malis, ac maioribus eripuisset, hostes pudore suffudisset: Dæmonem sua spe exutum, contra Christianæ religionis cultores nequicquam moliri ostendisset.

Inter eos qui in hac excursionem Christo se adiunxerunt, præter superiorem aniculam, nonnulli fuere decrepiti senes, quibus eousque Diuina bonitas videbatur huius lucis vsuram conseruare, dum æternam in fide lucem aspexissent. In quam vnus repente admissus credi potest, quippe qui baptismo renatus in meliorem, vti speramus, vitam ac felicitatem demigravit. Alius fuit ætatis vitio pertinacior, is non annis minus quàm obsequijs ita se Amidæ obstrinxerat,

rat, vt ab eo auelli, se à Neophytis propinquis nulla ratione pateretur. Nam & nescio quo, in eius obsequium, munere fungebatur, ex quo etiam victum quærebat. Ad hæc eius muneris insignia aliaque impietatis arma, quæ sibi morituro congeslerat, ægrè dimittebat: Demum tamen hoc postremo Patris aduentu blandior factus, eo deueiunt, vt ætatem causatus, negaret se debitas criminibus suis pænas, à se posse repetere; sed doctus quam facilis esset ei per baptismum in cælum via, tandem dedit manus, ac nostræ fidei Mysteria edoctus, elui voluit & impetrauit, vbi omnia impiæ sectæ arma simulacraque tradens, eam sectam in æternum repudiavit, quam tanta animi contentione retinuerat. Hæc obfirmati senis ad Deum conuersio, mirum quam sint omnes admirati dum homo id ætatis ea dimisit, in quibus tot iam annos spes omnes suas collocarat.

In alia quoque iam anu decrepita simul ac delira, Dominus electionis suæ vim & efficaciam demonstrauit. Hæc erat Neophyti cuiusdam parens, qui eam, quòd iam obsurduisset auribus, & cerebro deliraret, velut depositam sibi relinquebat ac Deo fortè in illas ædes Patris socius, non consultò ad certamen cum Ethnicis ineundum aduenerat, de vetula ne agebat quidem, iam monitus à filio: sed quoniam eam ille non deseruerat, qui non perdidit è suis quenquam,

D 3 aures

aures animumque illi cum voluit aperuit. Ad
 differentem socium propius accessit, & insolenti
 attentione in ea, de quibus differebatur, in-
 tendit. finito sermone, frater noster vetulam
 pæne per iocum rogat, audieritne, ac intellexe-
 rit ea, quæ dicebantur. Annuit illa seque omni-
 no Christianam fieri velle respondit. Intulit fi-
 lius, parentem suam ætatis vitio delirare, verbis
 eius minimè intendendum, verùm iterum ac sæ-
 pius interrogata ita respondit, vt ad salutem
 lucidum adepta interuallum fuisse sentiretur.
 Itaque Catechisticis prælectionibus erudita, Ba-
 ptismum fidemque suscepit, eaque res ab omni-
 bus, qui eam nouerant, humana maior narra-
 tur.

In viciniore alias villas ac pagos quotan-
 nis modò tres, aliàs quatuor è nostris, sacerdo-
 tes excurrerunt, in his per Toparcham nostris
 nec commorari, nec liberè licet commeari, qua-
 re diuisis regionibus occasionem captantes ali-
 quam, intra dies viginti, annua Pastorum offi-
 cia summo labore contrahunt, quotannis expia-
 ti supra bis mille: cetera consueta.

1610. Peculiaris vnus anni fuit in Imperij
 sedè, Surunga nuncupatur, Christi causa susce-
 pta legatio. Ea Imperatoris de more visitandi
 prætextu cohonestata, liberam habuit rerum ex
 voto conficiendarum facultatem. Exceptus est
 Noster quidem non malè, sed non ea tamen hu-
 manita-

manitate ac benevolentia, quâ superioribus annis consueuerat, eo munere perfunctus Neophytos excoluit, hortatus est, confirmauit, ad eorum quoque numerum triginta Ethnicos adultos aggregauit, multoque plures erat aggregaturus si per moram licuisset. In hac Regia confidet Matrona Nobilis, quæ nuper Miaci Christo adiuncta, in hanc urbem commigrarat. Ea de nostri sacerdotis aduentu certior facta, desiderio capta est eius conueniendi, ut ea, quæ temporis angustijs exclusæ Miaci minime audire licuisset, oblata colloquutione suppleret. Verum huic eius voto filius obstabat Ethnicus adhuc, legique nostræ non parum infensus, quam nesciebat à parente susceptam; atqui ingeniosa necessitas cupiditati satisfecit. Habebat illa famulum Neophytum, cuius operâ, sua cum Patre nostro consilia communicabat. finxere Miaco in hanc regiam nobilem, nescio quem, medicum aduenisse, id de animorum scilicet medico intelligentes, hoc sibi conueniento opus esse, ut suæ ægritudini, consilia, & pharmaca peteret. Id ut faceret liberius, è filij ædibus in alterius famuli ædes se contulit. Eo nostrum venire iussit, sed medici habitu. Quod, cum esset natione Iaponius, sine periculo faciebat. Venit igitur, initioque per summam dissimulationem, medicum verbis, non habitu solum, effingebat. Inde

D 4 digres.

digressis omnibus, præter vnū illum famulum
 consciū, capit cælestia pharmaca explicare.
 Multas horas tenuit ea collocutio, cum illa nul-
 lum appositè quærendi, nullum auidè illum au-
 diendi finem faceret: aiebat enim tot inter ho-
 stes tamque infrequenti Patrum conspectu, sibi
 opus esse præsidij ad eam fidem, quam susce-
 perat, retinendam. Plura cupientem temporis
 angustia prohibuerūt, Dirempta est collocutio
 Matronæ solertis, non sine mutuo vtriusque so-
 latio. Aulicis igitur iam negotijs expeditis sa-
 cerdos noster, Miacum repetijt, alios qui eum
 præstolabantur, pari semper fructu, ex itinere
 Neophytos interuisens.

Verum neque Firandenses Neophyti negle-
 cti sunt. Firandum enim portus est eo loci si-
 tus, vt in eum ferè nauigia, quæ in Cami regio-
 nes feruntur, appellant. Hinc fit, vt quotannis
 sociorum, qui eo nauigant, visitatione fouean-
 tur: nam aduersis ventis detenti, cum portum
 capiunt, itineris iacturam in animorum lucro
 reponunt. Sed dum socij Neophytis ad sunt,
 ipsi quoque socijs Neophyti minimè defue-
 runt; Nihil enim Ethnico Dynasta, fidei hos-
 titalissimo deterriti, tanta libertate salutis
 suæ procurandæ opportunitatem accipiunt, ac
 si nulla tyranni vis timeretur. Nam socios ad
 turbas auertendas summo diluculo sacrifican-
 tes, ipsi sua sedulitate præueniunt, in ipsis aut
 vicinis

vicinis ædibus pernoctantes; & tanto ardore expetuntur quæ defunt, vt nullum periculum in periculo habeatur. Hanc Neophytorum constantiam exemplo suo solidat, semper sibi similis Micia, Dynastæ iunioris hæredisque parens, quæ vna cum ancillis interrita, susceptam à prima ætate religionem, in oculis Tyranni conseruat, filius etiam fidem nostram amat, sed hunc viuo tyranno affectum tegit, & beneuolentiam in sola spe conseruat.

1610. Socij duo cum è Firandensi portu, vbi eos aduersus ventus detinuerat, soluissent, iter suum profecturi, denuo reflante vento reiecti Tacuximam Firandensis ditionis Insulam tenuerunt, quò è societate iam diu nemo peruenerat, quid ibi egerint, iuuat in Epistolæ fragmento, ex illis alterum audire narrantem. Tercio die vento vtcumque propitio Firando soluimus, sed repente reflare cæpit à prora, quod ipsum arbitror Diuinæ acceptum prouidentia referendum; Cum enim retro vnde solueramus reuolueremur, Insulam Tacuximam peruenimus, vbi biduo detenti Insulares Neophytos de peccatis confitentes audiuius, eosque permultos: Ingenuè fateor, hic à Neophytis mihi, alias duro, lacrymas excussas, quas ciebat eorum pietas, & in fidei rebus integritas quam videbam. Et quoniam decennium est, eoque ampli-

D 5 us, ex

us, ex quo nostri Insula excessere, eorum plerique ad hanc diem nunquam alias peccata sacra Exomologesi apud sacerdotem deposuerant, tanta porro fuit eorum in aduentu nostro exultatio, ut eam capere vix posse viderentur. Qui his, sociorum loco, in re Christiana praest, septuagenarius senex, nullum Deo, gratulandi de aduentu nostro finem faciebat. Dicebat ille suffusus lacrymis, hanc peccatorum confessionem sibi extremam fore; nihil porro se magis optare, quam in fidei causa, violenta morte claudere senectutem, Hactenus Pater; verum ad illustriora pauca, quae in hac excursionem varijs temporibus contigerunt, sigillatim descendamus, omissis pluribus, quae argumenti similitudine in alijs continentur.

1610. Piscatoris Neophyti in hac insula constantia tentata est, quam ille animo plusquam piscatorio ac humili, nobiliter praesetulit. Quo tempore persecutionis incendium vehementer ardebat, loci praefectus eum aggreditur, ratus eius animum facile expugnandum. Itaque Cineres ei quosdam ebibendos offert (id erat desertionis signum, nam Bonziji sacrificuli inscriptas oblongis schedulis, pronunciatas ab idolis suis sententias, in cinerem redigunt, quos cineres Iaponij sacros habent, eosque agris bibendos tradunt, vel si quando iuramentum exigant, quasi qui hos epotauerit, vindices Deorum iras in se sit pro-

fit prouocaturus, nisi vera iureiurando confirmarit; Hanc igitur potionem misceri Neophyto iubet Præfectus, eamque propria manu, quo vehementius prouocet, epotandam piscatori tradit: ô sed animosum piscatorem! acceptum de Præfecti manu poculum, vnaque potionem magno spiritu in terram abijcit, asserens se similia non ebibere, ne protestaretur ex eo se post hac non fore Christianum, qui semper futurus sit. id ea libertate ac animo fecit ac dixit, vt attonitus Præfectus statuerit, nihil ultra tentandam eo tempore illius firmitatem.

Non hic stetit eius constantia, sed eò peruenit, quò propè non potuit altius. fortè aliàs innoxius piscatori, nauigium conscendebat idem loci Præfectus, cumque titubasset, veritus ne fortè in mare laberetur, quomodo in periculis Christiani solent, sacra I E S V ac Mariæ nominatiuocauit. tulit hoc impotenter Ethnicus, eumque acriter increpuit, quod hæc omnia coram se, & pro se inuocasset. respondit Neophytus, se id ex consuetudine, quam puer imbiberat, fecisse, neque hanc se consuetudinem dediscere posse, nec velle, quod esset Christianus. excaudit ad hæc Præfectus, querens se ab eo contemni, cum hæc nomina inuocaret, quæ sciret ipsum detestari, simul manum ferro induens, minatur se illi ceruices amputaturum: non expauit mortis præsentia
Neophy

Neophytus, sed lapsus in genua cervicem præbuit, in hæc verba prorumpens; si mortem merui propter inuocatum IESV ac Mariæ nomen, aliam in me mortis inferendæ causam nullam reperies: obstupuit Præfectus, eumque vel vt vitæ prodigum, vel vt piscatorem ense suo indignum habuit, sed nihilominus conceptum diu furorem, diu dissimulare non potuit, altero iam congressu prouocatum: nam postquam nauigando in altum innectus vnde non facile posset enatari, eum in mare proijci iubet, natabat ille qua vicinius spectabat è salo solum, satis certus Diuina se ope in ripam euasurum, vel mortis in fidei causa susceptæ præmia meriturum. Socij nauales qui in nauigio remanserant, eius vitæ diffidentes, Præfectum rogant, vti eum in nauem recipi iubeat, alioqui se vna omnes eandem aleam subituros & in mare desulturos. Is vel precibus victus, vel metu, ne à remigibus destitueretur, eum recipi permisit, nec vnquam aliàs in certamen cum piscatore descendit, qui Neophytis exemplum, Ethnicis stuporem tam insigni constantia mentis iniecit.

Mulier quædam Christiana in absentia mariti perditè viuebat, publicam cum alio consuetudinem iniens, Parens adulteræ vir erat honestus, & ex antiquioribus Neophytis virtutis opinione, non infimus, sed eum filix publicum crimen, immerita suspicione sædabat, quasi
non

non consensu, negligentia saltem, aut indulgentia, tam insigni malo non mederetur. Angebat bonum senem sparsus de se rumor, & filiae lasciuia; vtrumque vt tolleret quotidianis monitis, imò & minis adulteros reprimerebat, sed cum nihil proficeret, statuit omnibus ostendere, quantum filiae infamia vel crimine pungeretur, & quam nullum eius patrocinium unquam suscepisset, simul experturus ac quid hac ratione, publico malo publicè mederetur. Nullo igitur in consilium adhibito, in ædem sacram prope rat solemni quadam die, quæ frequentiore conuentum euocarat, ibi flagellis in se armatus, seipsum, exposita prius causa, publicè cædit, valuit ea res non ad eum solum suspitione liberandum, sed ad adulteros à scelere reuocandos, qui ea re permoti, magno palam sensu receperunt, se vitam in melius mutaturos, nec minus fecere quam dixerant: Nam alter pellicis ædes postea ne aspexit quidem, altera etiam eo se contulit, vbi vitæ suæ custodes ac testes haberet. Ita plus opera semper ad persuadendum, quam verba valuerunt.

Quod narrare aggredior, facile prode plus salutis curam, quam honoris tuendi cupiditatē in Neophyto quodam potuisse. Is nescio quo scelere ad mortem damnatus, vbi audiit ad se comprehendendum iudicum ministros aduenire; tum quidem honoris è Iaponico more
tuend;

tuendi cupiditate amens, se suis in ædibus conclusit, certus non se prius moriturum, quam nō nullos ipse mactasset, aut se proprijs in ædibus incendisset, tametsi eodem incēdio tota vicinia conflagraret. ad eum tumultum è Patribus nostris vnus accurrit, Neophytum sui sceleris admonuit, quodque hac ratione non animus minus quàm corpus interiret. mira vis fidei! nullo negotio in Patris manibus arma deposuit, confitendo scelera eluit, & pronas ictui ceruices obtulit, magna Ethnicorum admiratione, quod viderent Iapones Neophytos, tam facile receptas consuetudines deponere, ne fidē abijciant, quæ sine dubio, regno vtilis suos præcones fouendos iure comēdaret, quorum persuasionebus multorum eo die facultates & aliquorum vitæ fuerant conseruatae.

1611. Adolescens Ethnicus annorum fere quindecim, variolis fædè infectus decumbebat, parentes, etiam Ethnici imò & fidei hostes, stauerunt salutem in profanis ritibus filio quærere, quod vt efficacius foret, monent filiū, vt hos ritus excipiat spe concepta, se ad salutem hac ratione reuocatū iri; negauit filius, asserens Christi se sacra velle suscipere, ac de salute nihil sollicitum, quoniam pro ea votum virgini eius Parenti, sanctissimè concepisset; quod votum libens illis commendaret, nisi tanto res Christianas odio insequerentur. Tum parens amore in
filium

filium victus respondit: se quoque in Christi fidem transiturum, si ab ea reciperet sanitatem. ergo iam vnanimis, parens ac filius, ex antiquioribus Neophytis, vnum euocant, cui rem totam aperiunt, eiusque super ea re consilium explorant. Is auctor fuit, vti se ex animo ei commendarent, à quo omne iam bonum sperare didicerant. fecere sedulo, nec eorum fidem fellit Dominus. mox enim filius est in salutem pristinam restitutus, quod cum vidissent, iam ardebant desiderio sacerdotem nostrum visendi, ab eoque Christi sacra suscipiendi, sed aberat ad certam diem affuturus, quam diem dum præstolantur, pro diebus annos numerare sibi videbantur. Is cum aduenit à nouis Tyronibus admirabili gaudio excipitur. Ergo ei rem aperiunt, mysterijs nostris imbuuntur, baptizantur, Parenti Ioachimi nomen obtigit. Is erat vir grauis, ipsoque Dynasta familiariter sæpe utebatur, qui breui rescuit eum in Christi fidem adscriptum, quod eò indignius tulit, quoniam se absente & inconsulto id fecisset: ergo eum ad se vocat, sciscitatur Christianus sit necne? Affirmat Ioachimus: ad hæc Dynasta toruè eum inspiciens, nihil respondit, sed aliqua interpositâ morâ, idem quærit, & idem ille respondet, nihil eius toruo aspectu deterritus.

Dynasta

Dynasta tunc quidem siluit, sed eum ita dimisit
 ut ex vultu intelligeret quantum ea res illum
 pupugisset; quod etiam ostendit, eum intra
 paucos dies cum vniuersa domo proscribendo,
 hoc solo nomine quod esset Christianus; hanc
 sententiam nouus Tyro hilaris accepit, tam exi-
 guo tempore iam doctus Domino Deo gratias
 agere, quod se dignum duceret, qui aliquid in
 religionis causa pateretur.

Virtus Euangelij super ægros recitati hoc
 maxime exemplo patuit. Adolescens è fide-
 lum numero in siluam ierat, ibique fessus, ut ap-
 pareret, obdormiuit, cui dormienti visum est, ne-
 scio quod spectrum, quod ei speciem vulpis ha-
 bere videbatur; ab eo spectro in nemus interius
 abducitur vel inuitus, vbi biduum sine sensu ac
 mente perstitit: interim parentes ac propinqui
 alijque complures eum querebant, sed frustra;
 donec tandem die tertio, matutinis horis, ino-
 pinatò Parentum ædes ingreditur, sed ita, ut e-
 loqui, quod viderat, non posset, attonito simi-
 lis. superuenit sacerdos noster à Parentibus e-
 uocatus, multa ex eo querit, sed ne verbum qui-
 dem extorquet. Intellexit noster eas esse Dæ-
 monis præstigias: Parentes ergo monet, ut eum
 in diem insequentem sacrosancto missæ sacri-
 ficio sistant; quo expleto, vestes sacras indutus,
 Euangelium illud D. Marci super ægros recita-
 ri solitum, ritè pronunciauit, sed nullo euentu
 neque

neque enim loqui dum capir, nec ideo tamen
deposita spes est, iubet noster, vt quotidie idem
faciant. fecere, idemque Euangelium sacerdos
repererat. Demum tertio die loquendi faculta-
tem, dum idem ageretur, ita recepit, vt prius-
quam noster inde abiret, eum peccatis expiarit;
qua, ex causa eum postea in ædem reductum, ad
agendas gratias clementi Domino obtulerunt.
Senex quidam Neophytus cum nusquam vitæ
subsidiū haberet, quàm in filio Ethnico, ma-
luit tamen ostiatim stipem id ætatis corrogare,
quàm in copia rerum salutem in discrimen vo-
care. Ergo in Fidelium terras se recepit. Plus e-
tiam aliquanto fecit mulier quædam Christia-
na eius maritus, Ethnici Dynastæ meru nihil
secius viuebat, ac si nunquam Christi fidem,
quam olim professus fuerat, suscepisset, vxorem
eodem adigens; verum illa renuebat, nullam
omittens Christianæ professionis partem, suis
temporibus orationes decurrebat, ieiunia ob-
seruabat, ædem sacram & crucis locum cum re-
liquis Neophytis adibat, & reliqua omnia præ-
stabat, quæ ab ea religio exigebat, vel inuito ma-
rito. à quo, quòd molestè ferret sæpe verbis, sub-
inde etiam verberibus, increpita, nihilominus
sibi semper similis omnia tolerabat, etiam cum
à marito domo pelleretur, id moderatè tulit.
habebat ex ea duas tresue proles, ergo facti pæ-
nitens & amore victus eam reuocat, ratus im-
E posterum

posterum malo edoctam sibi consensuram. Sed cum ea nihil innouaret, non ita multo post iterum pellitur; quanquam auctoribus amicis quibusdam etiam tum eam reuocauit, ac denuo vrgere cepit, vt sibi consentiret. Verum neque nunc elanguit, sed eadem constantia pestifera mariti consilia, vim verius, repellebat, ergo iam sperni se vltra non ferens, impotens maritus eam domo in perpetuum extrudit, ac ne forte aliquando liberorū amore victus de Matre melius statuatur, prole suam crudelis parens, parentis suæ fortunam subire cogit. Verum inuicta virago filijs onusta, victrix de marito in Christianorum terras venit, vbi pauperem vitam degere cum libertate Christiana, quàm cum desertore marito idem vitæ iugum trahere, prælegit.

In sequenti narratione paucis multa notatu digna videri possunt. Castitatis amor in iuencula, pietas in sacram synaxin ac veneratio, aliaque nonnulla. Impudens scurra, virginem eo loco, ac tempore interceperat, quo neque fugiendi, neque resistendi spes erat. In ijs angustijs posita, ad venerabilis sacramenti vim, nouo consilio confugit. Ad inuasorem conuersa eum his ferè verbis alloquitur. vide etiam atque etiam infelix, quid agas, cum vim inferre paras ei, quæ puritatis totius auctorem in venerabili sacramento suscipit, vindicem Dei manum acriter in te prouocas.

his

mireloq

3

his verbis Dominus eam vim dedit, vt effrons iuuenis, cum nihil quod responderet, inuenisset, eam intactam dimiserit, abiens cum pudore, quem prius amiserat. nondum illa quidem per ætatem ad sacrum conuiuium admissa fuerat, sed suo se ipsius sacramenti voto ac comparatione tuita est. eo periculo libera Patrem adiit, rem aperit, petit obnixè vt se ad sacram synaxin admittat, ne si forte fraudem sollicitator rescierit, ad se laceffendam reuertatur. Promisit Pater velut virtutis præmium, ipsaque se totos solemnis ieiunij dies, varijs corporis afflictationibus comparauit, vt eum acciperet, à quo fuerat admirabiliter in præsentis periculo liberata.

De Firandensibus Neophytis nondum est finis: verùm gloriosi pro fidei causa triumphum peculiarem insequenti capite tractationem videntur postulare.

Gaspar, Ioannes, Ursula Firandenses Neophyti in fidei causa capite mulctantur,

CAPVT VI.

IN Firandensi ditione numeratur Insula quædam Ichitzuqui, quam olim Hieronymus & Balthasar Nobiles Neophyti, & eiusdem regni

regni primores moderabantur prius, quàm annis superioribus, vti scriptum est in proprijs analibus, fidei causa proscriberentur. Ea in Insula, quam soli pene incolebant Christiani, oppidum est Iamanda nomine, cui olim pro primoribus illis proscriptis, præerat Neophytus Nobilis Gaspar nomine; aduersus eum & coniugem ac filium orta maximè tempestas, dū vult obruere seruat, & in salutis portum, proprii sanguinis vndis delatum impellit: id ut contigerit, nunc breuiter & eum fide narrabo. Gaspar à puero fidem Christianam professus, biennis enim Christiano more renatus erat; Vrsula, & Ioannes, à prima infantia simul nati & baptizati sunt. Gasparis ex Vrsula filius, Ioannes, vxorem duxerat pari pietate ac nobilitate præditam, & illi iam parens familiam cesserat, annos enim agebat octo supra viginti, in quo etiam ætatis flore martyrij palmam reportauit. Præter hunc habebat Gaspar filiam Mariam nomine; Adolescenti Ethnico in coniugium traditam, filio Gubernatoris alterius oppidi, cui nomen Iachinofama, Gubernator Condochisan dicebatur, sanctissimæ legis nostræ hostium acerrimus; qua ex causa nullum non mouebat lapidem, vt Mariæ constantem animum à Christi fide dimoueret: biennium tenuit ea colluctatio, consilij ac blanditijs potius, quàm minis, nescio an ariete vehementiori, concutiens: varia illi submittebat

mittebat Ethnicæ superstitionis armamenta, eaque ad deliniendum puellæ animum perelegantia. Verùm illa nihilo fortiùs consilia, quàm dona repudiabat: aiebat enim, quoties à socero urgebatur, vt in Ethnicorum familia soceri & mariti auctoritatem sequeretur, se quoq; utroque Parente Neophyto in Christiana familia educatam; iniquum videri, si socero Parentem, Affinibus propinquos post haberet: non fatigabant importunum senem obfirmata huius in seruanda religione consilia: persuadebat sibi, illam tempore, cuius continua vis pleraque superat, posse peruerti; nihil igitur de importuna ille persuasione; sed nihil illa de sua firmitate remittebat: tametsi hac lucta periculi plena, molestiarum tamen & tædij minus nihil habebat: nulla in vultu hilaritas, perpetuus luctus, nisi si quando è soceri sedibus, velut furtim erumpēs, in parentum ædes luctus partem, querelis muliebribus positura recurrisset. hoc solum erat in hac re Mariæ solatium, quòd Maritus ipse nulla ratione cum parente suo in ea vexanda conspiraret: cui erat permolestum, pacem domesticam inanibus de religione iurgijs perturbari; cum sua nihil interesset, quæ sacra coleret, ea quam amore coniugali castè, pudenterque prosequeretur. sæpe cum parente suo seriò agebat, vti nurum mitteret, neque se pari cum ea molestia inuolueret, verùm plus apud eum semper

E 3 potuit

potuit impietatis studium, quàm naturæ propensio : affirmabat enim sæpe, sibi iam diu certum esse, nulum domi suæ non alere Christianam.

Hæc biennij experienciâ, & iteratâ sæpe comminatione, cum è socero Maria cognouisset; intellexit omnino in ea se familia salutis adire discrimen : quotus enim quisque sibi fidat, in perpetua pugna certam esse victoriam, maximè in eo pugnandi genere, in quo fuga reputatur in triũpho impetrata igitur, quod subinde faciebat, parentes interuiscendi facultate, statuit in certaminis arenam, vltra non descendere : nec eum pro coniuge habere vel socero, quem habere non posset sine iniuria conditoris. In parentum igitur ædibus, cum solito diutius moraretur, suspicionem fecit eius quod maritus dudum verebatur. misit ergo ad eam socer nuncium, à quo accersiretur : nuncio Gaspar ad se venienti, filix consilij conscius & approbator, nihil respondit : ne tamen illius auctor videretur, factique totius inuidiam sustineret, inquit ætatem filix illam nunc esse, quæ de rebus suis sciscitantibus posset respondere, per se illi licere, vti hoc in negotio faceret, quod maxime videretur. Maria igitur ex composito ita respondit : se certis ex causis minimè redire, nec vltra nulum esse, aut eum socerum velle profiteri; id visum est satis, & vt intelligeretur, sine offensione responsum.

sponsum. Indignissimè tulit Ethnicus socer publicam familiæ suæ iniuriam, & ab iracundia consiliū sumēs, immanem sane tulit de re tota sententiam. statuit enim apud se nulla affinitatis habita ratione Gasparem perdere, hoc solo nomine, quod esset Christianus. cū enim nurus perperatam, proscriptorū sociorum, qui Firandi rem Christianam procurabant, institutionē minime esset assecuta, nihil dubitabat, hæc de retinenda religione consilia, in filiam à Gaspare proficisci: omnis igitur in eum furor detonuit, in eum unū vindicta collimavit: neque hæc secretis apud se dumtaxat consilijs agitabat, sed experturus eequam vim haberent minæ super blanditias acriorem, hæc altero responso Mariæ renuntia, ri iubet; videret etiam atque etiam quid ageret, patere iam consilia, quod unius externæ superstitionis causa, à parente delasa, socerum maritumque desereret: meminisset Dynastæ Firandensis edicto peregrina sacra exterminari, cultores illorū obfirmatos plecti, nec exempla deesse, nec ipsam domum parentis immunem evasisse, sciret proinde, sibi decretum esse, nisi breui saniora consilia caperet, Gasparem ad Dynastam deferre, quod vetita sacra sequeretur: tametsi ex ea re non nesciret extremā Gaspari perniciem imminere. Ad hæc in absentia parentis ita Maria respondit; se quidem relictæ familiæ suæ causam, nondum enunciaſſe.

sed quoniam non ineptè coniectaret præterito-
rum conscientia certus, per se quoque licere, vti
hanc vnam causam negati reditus interpretare-
tur: Ad Dynastam verò deferre pergeret, quod
dudum non ignoraret: ita enim publicum esse
in vniuersa Firandensi regione, Gasparem cum
tota familia viuere Christianè, vt difficilius sic
negantem persuadere, quam de tacente dubita-
re, filia responsum vbi Gaspar audiuit, hoc so-
lo quod lenius æquo fuisset, improbavit: vole-
bat enim ipse animi sui firmitatem verbis acri-
us explicare, socrum, hoc Mariae respon-
sum acrius etiam accendit: nihil igitur impo-
terum dubitauit exequi, quod fuerat commina-
tus: & quoniam è dignitate sua esse arbitra-
tur, nihil in ea re mouere, quod non exitum for-
tiretur, in sola captandi temporis opportunita-
te moram protrahebat; nec defuit huic volun-
tati malus Dæmon, cuius consilia non in vnum
Gasparem, sed in cæteros Neophytos, grauius
diuexandum ferebantur. In Insulam igitur hanc
Firando aduenit primarij Dæmonum cænobij
Archimandrita, Coja nomine, qui cum vtrimq;
arctissima intercedebat necessitudo: cum itaque
in mutuum congressum venissent, nihil habuit
antiquius, quam vt sacrificuli auctoritate, & in
Christi religionem odio, ad priuatas inimicitias
vlciscendas vteretur: rem igitur narrat, consili-
um suum aperit, & vt facile similibus studia
conspi-

conspirant, à sacrificulo collaudatur, à quo etiam mox, vt se Firandum receperit, auxilium promittitur in ea re maximè, quæ ad se magis ex publico, quàm ad eum ex bono priuato pertineret. commodam accusationi ansam præbebat Gasparis vita, qui vel nobilitatis auctoritatem, vel Christianæ legis peritiam ad tuendam illam in Pastorum absentia non segniter adhibebat, qua ex parte facilius delatorum calumniis impeti, & efficacius obrui posse videbatur. Reddit igitur sacrificulus Firandum, & in prima Dynastæ visitatione, quasi ex officio Deorum Patrios ritus tueretur, queri cæpit, in Ichitzuqui Insula, & Iamandæ potissimum, patrio Gasparis solo, Christianæ impietatis publicos degere professores, quibus non sit satis, pro se peregrinam impietatem colere, nisi eam quoque apud cæteros euulgarent, aut ad patria sacra redire meditantes auerterent: tacebat ille Gasparis nomen, in cuius caput hæc maximè faba cudebatur, ne fortè priuatis inimicijs innocentem petere potiùs, quàm Patriæ religionis ardore agi videretur. Firandensis ad hæc Tyrannus obstupuit, negauitque fieri posse, vt in Præfectorum suorum oculis, edicta contra Neophytos sua negligerentur: vrgebat sacrificulus, & quantum poterat fidem suam omni fraudis suspitione liberabat: assererat, à se omnia studio explorata cognitaque referri, in quæ vbi inquisisset, plus

E s. quàm

quàm delatum sit reperturum. Excanduit ad hæc tyrannus, cumque ipsum delatorem, addito ex alia secta sacrificulo, quæ deterrimum dæmonem, numinis ritu venerari, peculiariter profiteretur, nominavit: ex ea enim secta tyrannus ipse, vitæ suæ ac religionis præcepta desumebat: hoc igitur cum suprema inquirendi plectendique potestate, in Insulam delegavit: quo cum pervenissent, Iamandam potissimum, Gasparis causa, excutiendam susceperunt: adhibito igitur in consilium loci præfecto, tamen si constaret eum esse Gaspari per amicum, mandata Dynastæ Firandensis exponunt. vix bene aduenerant impietatis ministri, cum ab amicis Gaspar moneatur, vti sibi consuleret, hæc omnia illius causa comparari. Verùm ille, cum religionis solius causam agi non nesciret, & extrema ferre paratus esset, nulla fugæ consilia admisit, quod fugienda non essent, quæ magnopere expeterentur, nihil Gaspari profuit, præfecti fauor totis viribus ad eum liberandum adnitentis. statutum enim vti Gaspar ac filius Ioannes quàm arctissime vincirentur; visumque est, edicto publico in Præfecti ædes vniuersos accersere, nisi quod peculiari etiam nuncio Gaspar euocatus est. verum ille nuncium præueniens oratione munitus, ac D. Francisci cingulo piè cinctus, in consilium admittitur, in quo vrbauitatis ac salutatio- nis officijs, viro nobili ad merum eximendum adque

adque vim, si resistere forte pararet, fallendam, præstitis, cum minimè suspicaretur, iniectis in eum manibus vincula comparantur, quod cum agitur, ait Gaspar: viros, ut arbitror, Nobiles, nulla lex iubet, inscios, cuius rei causa vinciantur, contumeliosè comprehendi. respondetur: eum Dynastæ iussu vinciri hoc nomine, quod esset Christianus. Ad hæc inquit Gaspar. In hac causa vincite, ut vultis, Christianus enim sum, nec id aut volo negare, nec si velim, possum, satis enim constat, hanc à primo ætatis biennio legem me cum lacte suxisse. Quid autem ad hæc mihi iniicienda vincula, erat tanto tumultu aut edictis opus? ego me puero vincendum tradidissem; hæc enim vincula diu expectij ac præfensi, quæ in magnis Dei beneficijs repono, atque interim dum vinculis sese induit, vna vox erat, Deos ob vincula gratias agentis. vincitum custodibus, alijs in ædibus sollicitè commendant. inde ad filium Ioannem sine tumultu comprehendendum satellites dimittuntur: domi erat ille leui ægritudine, ne parentem accersitum comitaretur, prohibitus. ergo alia omnia causati, iuuenem ad colloquium vocant, & iam quod erat supicantem aggrediuntur. verùm ille innato generosi animi ardore excitatus, pugione, quo erat accinctus, educto, sese trebatur, dum è turba

nescio

nescio quis in clamauit, nihil armis opus esse, illum vna cum parente, religionis causa iussum comprehendi. vincite igitur Ioannem, inquit, in hac vna causa volentem. Parentis ac filij vnam decet esse fortunam.

Incidit horum Christi pugilum vinculorum dies in sextam feriam Nouembris 13. ante meridiem horis amplius duabus, nec nisi in diei insequentis matutinas horas vita dilata est. De Vrfula comprehendenda nihil laborarunt, satis fuit eam, vnâ cum filio intra proprias ædes adhibitis apparitoribus custodiri. libera igitur domi coram imagine maximam illius temporis partem, sese ardenti prece ad certamen muniebat. Ioannes Ethnicis stipatus apparitoribus, vinculisque prohibitus; quæ habebat libera, linguam & oculos, futuro agoni dedicabat: Gaspar liberior fuit, nam ad eum visendum nec amici neque Neophyti custodum facilitate excludebantur, quorum ille consortio lætus, incredibiliter sibi ac Deo sortem suam gratulabatur, ex Neophytis Gonsalvus quidam Gaspari per familiaris, noctu subinde nictabat, eum Gaspar sedulo excitabat, rogans ne preces pro se fusas intermitteret, & quidem eum in hunc modum Gaspar scribitur alloquutus: equidem Gonsalve tui me miseret, quod id ætatis (erat enim senex) in hac ærumnarum sæce etiamnum retineris, tot calamitatibus obnoxius, quot sentimus ac lugemus,
& su-

& super omnia de tua salute dubius, ecquo in loco sis æternitatem transfacturus: mihi verò gratulor ex eo, quod breuioris vitæ decurso iam spatio, præsentibus ærumnis eripior, & tutissimo itinere in felicitatē demigro sempiternam. Hinc tuam me oportet dolore vicem; te meam mihi gratulari.

Comprehensis mox Christi Athletis, Firandum celeres nunciij ablegantur, vt ea re nunciata, extremum Dynastæ pronunciatum de vindictis executioni mandaretur. id à primario totius regni moderatore ex tyranni voluntate sequenti diluculo peruenit, in hanc sententiam: Gaspar, Ioannes, Ursula, quòd Christiani sint, capite plectuntor. ea res sacrificulis ac loci Præfecto commendatur. Præfectus pro amicitia Gasparem eripere, & vbi non licuit, saltem filium & coniugem omni ope tentauit. Verùm Christiani sanguinis appetentes Dæmonum ministelli, ne mulieri quidem pepercerunt. ergo inuitus & multa causatus Gaspari renunciari iubet, extemplò moriendum. dignum est his commentarijs Athletæ Christianè generosi responsum. vtinam, inquit ille, ante obitum ipsi Dynastæ sisterer, ab eoque interrogarer, an Christianus essem. respondere gestio, quod nunc profiteor, me esse Christianum, quicquid ille de me statueret suo arbitrato, quoniam autem id non licet. hoc Præfecto renunciate meo nomine.

mine. Nihil queror, cum mihi constet amicitia te iure multa aut omnia tentasse: neque de illo ipso filia mea focero, in quem eius rei culpa vere reijceretur. cum enim hoc lathi genere salutem meam citius ac tutius consequar, ex peculiari Diuinæ maiestatis beneficio, habeo quod gratiam referam ijs, à quibus tanta mihi felicitas dicitur procurata: nec enim aliter Christiani solent hæc tanti boni excipere præfagia. verum quoniam hoc vno nomine mori iubeat, quòd Christum sim professus, id vnum à te amicitia causa postulo: Ut nimirum in Cruce, ad Christi similitudinem, eo in loco sanguinem fundam, vbi crux olim colebatur, eodemque in loco corpus meum Neophyto (quem nomino) traditum, Christiano ritu vnâ cum meis Christianis maioribus terre mandetur. Defixus admiratione Præfectus, ita respondit: se de mortis genere nihil præter Dynastæ voluntatem posse statuere, sed cætera, vti rogauerat, curaturum.

Iam igitur statutum supplicio tempus aduenerat, altero videlicet à vinculis die matutinis horis. stipatus itaque Neophytis ad locum crucis egreditur, ibi eum Præfectus præstolabatur, à quo repetita inferendæ mortis excusatio, idem tulit à Gaspare responsum. Per otium igitur salutatis Neophytis, & precibus ad Deum fufis, prouolutus in genua, ictum præstolabatur, Præfectus

fectus ipse, sua manu, Gasparem honoris causa, è Iaponiensi consuetudine, primo ictu obtruncat, & corpus cui commendauerat traditum, eo ipso communi Neophytorum cœmiterio sepelitur.

Quo tempore Gaspar ad supplicium educitur, missi quoque qui Ioannem & Ursulam obtruncarēt, ij re dissimulata, cum aduenissent, eos educi mentiebantur ad Gasparem priusquā moreretur, sensit fraudem Ursula, & se ad mortem trahi professa, vna cum Ioanne educitur. Ergo mox in limine ruit in genua, nihil opus esse vti vltcrius pergerent, sese iam ad excipiendum ictum comparatam, negabant illi hoc agi, sed ad littus progrediendum, & ibi nauigio vita donata imponendos, neuter credidit, quin potius vterque pergeret, precibus intentus, ad certamen fortiter subeundum. præibat Ioannes, Ursula sequebatur, eius, cum maxime improvisam arbitraretur è Ministris vnus, à tergo quàm occultissimè ferrum stringens, ceruices ferit, sed obtusior ensis manū fefellit, & in solo vulnere hæsit. Ursula subito sacratissima IESV ac MARIAE nomina implorans, in genua prouoluitur, ictum posteriorem commodè præstolata, qui ceruicem excussit, & audita est, cum in terram ruerat, inchoata IESV ac MARIAE nomina distinctè proferre, non sine astantium admiratione.

Ioannes

Ioannes cum præiret parentem suam, sanctissimas voces vsurpantem exaudiuit, ergo & ipse genibus nititur, & eadem nomina ingeminans, primo ictu obruncatur. atque ita tres animosi in Christiano puluere pugiles, ad coronam impetrata miseræ cuius vitæ missione, admittuntur. Horum corpora eodem ferè loco, quem sanguine purpurarant, Neophytorum opera, Præfectique voluntate, sepulta sunt.

Superstes domi Maria, Ioannis soror, cuius maximè causa immanis sceler hanc tragœdiam excitarat, nullum solatium capiebat, cum videret se, quæ primas ambiebat, gloriosæ mortis corona priuari. Dicitur non potest, quantum effecerit, quantum conata sit, vt cæteris iungeretur, sed nec Isabella, Ioannis vxor, inferior fuit: verum quoniam nihil atrocius de his Dynasta statuerat, votis exciderunt.

Reliqui ex Insula Neophyti, ne in solum Gasparem hæc studio concitata viderentur, vexati sunt ac tentati, quoniam autem reuera vnus ille petebatur, cæteri minus acriter habiti sunt, vnus dumtaxat è machinatoris sceleris Pago, quæ Dynasta fortè nominatim excuti iusserat, in vincula coniectus est; atqui cum Christianus esse solum, non autem rei Christianæ Procurator, vti Gaspar, fuisse probaretur, solutus est, satis querulus, quod speratis triumphis excidisset.

Pronus

Pronus in sanguinem Tyrannus, Firandi etiam furere meditabatur, nisi quod iam senior, è gentis more, Nepoti suo Regni habenas moderandas cessisset, satis habuisset, si eum admoneret, vti de Christianis àcrius inquiri præciperet. Verum Nepos Micizæ, sanctissimæ matronæ adhuc viuentis filius, Matris Religionem lenius tractat, maximè quod non nesciat se infantem baptizatum. ergo auo ita respondit, vt neque eum offenderet, nec in Neophytos baccharetur; atque ita tandem hæc procella conquieuit.

De sedibus Nangasakuensi Collegio attributis.

CAPVT VII.

Nangasakuensi Collegio sex nostrorum sedes intra vicinum agrum constitutæ, ab eius Collegij Rectore dependent, harum hæc sunt nomina Isafaij, Fucafori, Conga, Vracami, Vehime Fudoyama. quanquam anno huius triennij primo & vltimo, Congam inuenio defuisse, vltimo tamen Kiozoi, socijs è nostris vnus, constituto domicilio confedit. in his locis è nostris minimùm sex; summùm, nouem confedere, præter alios plures, rei Christianæ ex more, ministros. Adulti hoc triennio eluti supra sexcentos, nam plerique sunt Christiani.

1609. In Ecclesias ab his sedibus nonnullas, à quibus Toparcharum vitio Euangelij præcones arcentur, nostri captata occasione, quàm occultissimè excurrerunt. Et quidem eommodè incidit huiusmodi visitatio in id tempus, quod proximæ persecutioni imminebat, in loco cui Caratzu nomen est, cuius fortasse præsidij è Diuina benignitate confirmati, ita se gesserunt, vt Tyrannorum pertinaciam Neophytorum constantia superarit, nam cum persecutores non ignorarent, fideles fortunarum ac vitæ prodigos, suam Religionem non mutare; maluerunt pugnae consilia dimittere, quàm victoriam desperare.

In altera quoque regni Figem parte, tempestas etsi non atrocissima, Neophytos interurbauit. Xinamodono Dynasta, legis nostræ iuratus hostis multa mouere cæpit, quæ tamen vel Neophytorum in conseruanda religione renacitas elusit, vel Ethnicorum primorum huius regni beneuolentia mitigauit. In his excelluerunt Suquodono & Isafaydono, à quibus non solum nostri perhumanè in suis terris, inuito vel conuiuente Dynasta retinentur, sed etiam alijs fauoribus ac amoris argumentis in dies cohonestantur ornati.

Ex huius Isafaydono comitatu, vir nobilis est in paucis, idemq; constantiæ, in tuenda pietate, famâ Nobilior, quàm aliquot sibi fidei velitationibus

onibus victor comparauit. Eum solum ex huius
 familia Dynasta Xinamodono tentandum sus-
 cepit, per internuncium denuncians, vti legem
 eiuraret Christianam: verū ille sibi tam semper
 similis, quàm ex eius firmitate sperabatur. de
 quo vt scriberē (nam similes omitto quàm plu-
 rimos) adduxerunt me Parentum in hoc nego-
 tio con filia, quæ visa nō sunt omittenda. tamen
 si enim essent omnes Ethnici, diuersissima tamē
 suaserunt. Fratres quippe ex superiorum præli-
 orum victoria, coniectantes offensum Dyna-
 stam denuo tentare constantem animum, non
 tam spe victoriæ, quàm animo vindicandi de-
 decus ab eo resistente contractum, auctores ei
 sunt vel maximè, vt quam velit religionem ani-
 mo retineat, sed externo quolibet signo Dyna-
 stæ furorem redimat, ac fortunas, familiam, vi-
 tamq; conseruet. Matris porrò, tametsi Dijs in-
 anibus addictissimæ, insperata fuerunt consilia,
 qualia nec ab eiusdem cultus consorte meliora
 possent expectari. Hæc igitur in hunc modum
 filium scribitur allocuta Multorū sermonibus
 celebratur, te in tuenda Christiana religione an-
 tiquam tenere firmitatem, sed aiunt nonnulli id
 non tam priuatis vxoris tuæ cohortationibus,
 quàm proprijs firmitatis tuæ consilijs stabiliri.
 Ego vero si te noui, censeo prædicoque con-
 trarium, satis certa, superiorum certaminum
 victoriam, à propria vires accepisse firmitate.
 Ne igitur incæptam, noua leuitate expungas

grauitatem, Dynastam modestè primùm si poteris exorabis, vt te tuo more viuere non prohibeat, si fecerit, tu omnino tibi constabis, Parentem tuum imitatus; qui Dynastam continua semper fide profecutus, à te nunc exigere videtur, ne religionem prodas, quæ mortales vinculo stringit arctiore. Ego quidem sectam Yenus profiteor, fratres tui alius aliam: tibi soli Religio placuit Christiana, qua quisque via salutem quærat, nihil attendas, tu quã iniuisti persequare. Et in hac quidem causa si tibi Dynasta mortem intenterit, ego quibus potero precibus vitam exorabo; si renuerit, siccis oculis obitam generosè mortem intuebor. Hac tam forti Matris Ethnicæ cohortatione, constantia creuit, & currentis cursus nouis calcaribus incitatus est.

Neptem suam Mariam nomine, quo euentu Dynasta tentauerit, operæpretium est enarrari. Illam rationibus, consilijs, Imperio sollicitauit, vti secum in religione consentiret. Verùm illa in hunc modum fortiter sanè respondit morte coniugis mei (erat enim vidua) qui Christi sacra secum extulit, nuper inspecta, tantum de illius æterna salute conceperam argumentũ, vti, si per Christi legem liceret, moræ impatientis vitam abiectura fuerim. Legis meæ causa vitam seruare parata, tamen eandem, si tu necè mihi moliaris, prodigere nihil dubito, alacrius moritura, patientius victura. Terruit Patrum
neptis

neptis constantia, & ubi spem victoriæ, ibi certamen quoque dimisit. Ea domum reuersa Patri Nostro inter cætera scribit in hunc modum. Dynastæ minus placet esse me Christianam, mortis inferendæ, vel fortunis priuandæ nonnullum est periculum, de me ut voluerit statuat Dominus; tu me solum in sacrificijs illi enixè commenda.

Alius miles ante biennium Christi sacra susceperat, is de more precatorijs globulis accinctus incedebat, nec eos procella in Neophytos sæuiente dimittebat. Monitus est ab amicis, ut tantisper intuentium oculis eos subduceret, ne hac ratione Dynastam spernere diceretur. Ad hæc ita respondit: hæcenus apud omnes Religionis meæ in melius commutationem euulgauit, vereor, ut si id fecero, minus mihi videar constitisse; quicquid ex hac fidei causa in me procellæ depluerit, intrepidus excipiam, Deo sortem meam gratulatus. Idem commilitonem in hunc modum propè nutantem confirmauit, qui iussus ab turmæ, sub cuius vexillo militabat, Præfecto, Christum eiurare, frigidius respondit; ad deliberandum spatium postulato; simul ab commilitone consilium rogati is increpitum adegit ita respondero; ut Præfecto cum spe expugnandi exemerit etiam voluntatem oppugnandi. Huiusmodi plura, quæ legenti, similitudine fastidium, cogitanti tamen lætitiâ arbitror paritura.

Non possum tamen vt parentis ergâ filiam in retinenda fide studium prætermittam. vir honestus in fidei causa proscriptus pauperem vitam viuebat, ei vt subueniret, filiam Ethnico in matrimonium tradit, à quo cum audisset ad defectionem sollicitari, filiam domum reuocauit; nec adduci vnquam potuit, vt eam petenti genero restitueret, asserens se filiaë salutem cæteris præponere, quam ipse fortunarum ac patriæ iactura conseruarat: sed neque generi promissis, ab huiusmodi consilijs temperaturi, prius fidem habuit, quàm ipse publico ad id Chirographo suam fidem obligarit.

1610. Huius regni turbæ animum vnum non amplius tenuerunt: eo exacto, cum se multum remisissent, Isafay dono beneuolentiam nouæ sedis institutione cumulauit, Et vt Dynasta nuper Tyrannus, Patrem ad se visendum admitteret, impetrauit, quod & fecit, magnâ, coram aula suâ primoribus, beneuolentiæ demonstratione; nouæque sedis ædificium sua auctoritate confirmauit; quod ita erat instructum, vt simul ædes essent priuatæ, & in eo sacellum. Id Neophytorum liberalitate ita assurrexit, vt nemo ob tenuitatem voluerit eximi, quin salutem sua minuta conferret, & quibus nihil aliud supererat, operas suas ac laborem, mulieres etiam ac pueri, conferebant. Verum nunc
in pub.

in publico harum sedium statu, breuiter commemorato, peculiaria quædam virtutis exempla. è multis pauca seligamus.

1609. Neophytam Christianam Ethnicus scurra importunè laceſſebat, illa correpto fuſte impudentiam domo pellit, & pulſum frequenti lapidatione proſequitur, vna cum dedecore fugientem. Ea res vt fuit publica, magnam conciliauit legi noſtræ ſanctitatis opinionem. Mulier alia crudeli Patri prolem, quod filiam arbitraretur, maſturo eripuit, baptizauit, educauit, etiam Ethnico conſentiente, cum maſculū intellexit.

Haſaydono præſente dixerat, nescio quis Xaca, primarium Iaponum numen, oportuit legi Chriſtianæ ex Diametro aduerſari, in cuius ſcriptorum monumentis, tot de ſimili lege mala leguntur. Nihil mirum eſt ait Neophytus, nam ſerui dominis nullo non tempore ſoliti fuerunt obtreſtare. planè, ait Haſaydono, vereque dixiſti. neque enim apud Xacam, aut aliud vllū gentis noſtræ numen, ſalus inuenitur, quam certum eſt in Chriſti lege reperiri: eam ego, ſi per Dynaſtam liceret, dimiſſo Xaca libens profiterer. Sed in ſimili quoque pugna puer de Idolorum ſecta triumphauit, in æde ſacra nouum ex ære

campano tintinnabulum appensum vile-
batur, id eo loci nouum sermonibus ansam de-
dit, nam cum per eas forte dies insolita siccitas
fruges in discrimen adduxisset, miserum tintin-
nabulum in inuidiam vocatur: eius sono Deos
indigetes territos, ac fugatos, solitis regionem
destituisse præsidij, quibus puer ita respondit,
quod in miseris dijs ad imbres erit præsidium,
qui ne sonum quidem ferre potuerunt? Aque
ita mutum silentium pudori suffragatum victo-
riam in vnius pueri responso facilem reliquit.

Insignis fuit innocentis Neophyti, in reti-
nenda fide constantia, & animi salute, saluti cor-
poris præferenda, Neophytus quidam innocens
pro nocentibus, qui fuga pœnam legibus debi-
tam eluserant, comprehenditur, quem enim in-
nocentia tuetur, metus vix fatigat. Ad eum in
vinculis adeunt sacrificuli; & impunitatem, si
cum patrijs Dijs in gratiam redierit, spondent.
Verùm ille, malle se, dixit, breuem vitam cum
æterna, quàm longiorem cum illius iactura cõ-
mutare: iterum ac tertio laceffentes vno sem-
per à se responso reiecit. & is, in cuius manibus
sortes nostræ sunt, ac vitæ momenta, aperuit in-
nocentiam, iudices flexit, innoxium periculo ac
vinculis liberauit.

Diuinæ in Neophytos Prouidentix clarum
specimen est, quod subditur. In ea de qua dictū,
legis Christianæ persecutione, ædes Neophyto-
rum

rum diruta est, tamen si id edicta Tyranni minime imperassent: eam rem Neophyti tanto sensu doloris exceperunt, ut quoniam è tyronibus constabat pusillus ille grex, propè desperarent, se in hac temporum iniquitate acceptam legem posse retinere: nutabant propè omnes, & Diuinæ Prouidentia nondum periti, rem humano pede metiebantur. Audiit ædem dirutam Neophytis nihil querentibus Suchedono, alter ex ijs regni primoribus, quibus licet Ethnicis dominus utitur, uti huius regni Christiana res his velut columnis innitatur, ergo negotium ipse suscepit, & intrepide Dynastam ipso facto Christianos insequentem eo adducit, ut publico diplomate ædem refici, & aream ædibus iussit designari: Ea res Neophytos supra quam credi possit, in spem erexit, Ethnicos verò monuit, res nostras in Numinis esse tutela, cuius secreta vi, à Tyrannis etiam ædes sacrae construuntur. vulgo dicebant, in hac rerum varietate, res Christianas præter spem emicuisse, consiliaque sua in vanum recidisse.

1610. Quidam cum vniuersa familia Christi fidem & sacra susceperat; vix trimestre spatium abierat, cum eum Dominus probandum suscepit: nam illi filiorum alter, è variolis puerili morbo periclitabatur: ad eum extemplo Ethnici propinqui ac vicini concurrunt, nullus

F s quippe

quippe eo in vico Neophytus morabatur; sur-
 dent vti admissis deprecatoribus Ethnicos ri-
 tus pro filij salute adhibeat, ex omnibus vna
 maximè socrus vrgebat, Anus importuna mire-
 que idolis addicta, quin eum in finem ipsa cer-
 rum sacrificulorum genus suggerebat, qui se
 peculiari dæmonis obsequio deuouerunt (Iama-
 boxi vocant indigenæ) verùm semper ille sibi
 constitit, ac cæteris vni cum tori consorte resti-
 tit, nec vllò vnquam tempore spem suavoribus
 fecit quicquam persuadendi: quam ob rem vi-
 cini omnes spreta sua consilia indignati, palam
 aduersabantur, quo cum Neophytus, vt & in-
 grauescente filij ægritudine non parum angere-
 tur, tamen fortiter ad extremum ita respondit,
 se, vxorem, ac filios esse Christianos, ex eoque
 certo scire, si ex hac ægritudine decederet eum
 in caelestia gaudia protinus admittendum: non-
 dum enim erat ætas obnoxia crimini, ideo se
 & eorum consilia, & Ethnica remedia hacten-
 nus repudiasse; cæterum omnia se Diuinæ ex
 animo permittere voluntati. tandem pueru-
 lus moritur, eoque conscendit quo sua eum
 innocentia liberis alis euehebat: Neophytus
 prælij victor filij se morte solabatur, & vici-
 ni cum eo in gratiam redière; socrus ipsa
 post Nepotis obitum, idolis repudiatis etiam
 Christiana sacra suscepit: nam cum illa ad-
 uerte-

uerteret vtrumque parentem filij sui mortem
 ita tulisse pacatè, vt potius lætari viderentur,
 nihil dubitauit, quin vis in hac lege reperire-
 tur, quæ naturam superaret. Aduenit non
 ita multo post sacerdos noster, ex itinere Neo-
 phytos interuifens: illa igitur recenti casu con-
 cussa, imaginem, aram, omnemque sacelli ap-
 paratum, vt vidit, mirata est. omnia ab idolo-
 rum fanis tanto interuallo distare: optauit
 etiam interesse Missæ sacrificio, quod etiam
 die infrequenti clam inscijs omnibus, nescio
 quo ex loco est affecuta. obstupuit etiam ma-
 gis ac tum primum fassa est, Generum ac fi-
 liam non immerito ita mordicus suum reti-
 nuisse institutum, se quoque velle in eandem
 sacrorum communionem admitti: ergo cate-
 chisticis imbuta concionibus, in Baptismo,
 quæ coluerat, monstra eiurauit. Omitti non
 debet, quod narrabat, cum Catechumena fidei
 nostræ mysterijs institueretur. Dicebat se
 sex annos in somnis vidisse iuuenem in
 cruce positum, cui astabat vir eo habitu
 quo sacerdotes nostri induuntur, à quo
 salutiferæ signum erucis efformare, & ora-
 tionem quandam (angelica erat salutatio)
 recitare didicerat, quam quidem precandi
 formulam constabat etiam excusso so-
 mno aliquo tempore memoria tenuisse:

Hoc

Hoc visum non illa solum narrabat, sed vicini etiam nonnulli, qui ex ea Ethnica idem audierant, eo ipso tempore, quo sibi contigisse narrabat. Ergo & veritate conuicta, & viso confirmata, ex animo Christi sacra suscepit; eademque ut susciperet marito suo persuasit.

Quam oportunis auxilijs Deus suos tueatur, hoc arbitror euentu comprobatum. In domo Neophyti, tres pueri vno lectulo dormiebant: ex ijs duo Christianis erant sacris initiati, patris familias filij, tertius erat Ethnici familiaris filius: hunc alij duo pueruli, hospitij iure, medium in lectulo collocarunt: ipsi ex utroque latere quiescebant: inter quiescendum accidit casus admirabilis. vi magnorum imbrium auulsus est ex impendente rupe scopulus, ille in domus columnam ruens impegit, eamque diffregit, fragmenta in lectulum diffilierunt, & è tribus medium Ethnici filium, illaeso utroque Neophyto, attriuerunt: ad strepitum parentes accurrere, compertoque vnus interitu Ethnici quidem eiulabant: Neophyti vero tamen de amici dolebant infortunio, de suorum tamen sospitate lætabantur, Deoque gratias referebant, vni eius tutelæ incolumitatem adscribentes, porro Ethnici, demortui parentes, amissi filij dolore amentes, Neophytum criminari ceperunt, quasi suis carminibus, hoc à suis in alienam prolem infortunium deriuasset. Contendebant

igitur

igitur è Iaponum consuetudine, quæ alium, qui alteri, quomodolibet causa mortis fuit, ad mortem omnino deposcit; alterum saltem filiorum sibi ad necem tradendum, vt is vna cū filio suo interiret. Tuebantur se Neophyti sua innocentia, sed innocentiam multitudo superabat. Dynasta igitur, tametsi Ethnicus, appellatur: is de causa & casu certior factus ridere cæpit stolidam & iniquam Ethnicorum postulationem, Neophytosque à culpa, & quod sequitur, à pæna immunes pronunciauit, quare bis liberi è præfenti periculo gratias duplicarunt: Ethnici vero in meridiana luce cæci ne hanc quidem Diuinæ protectionis manum agnouerunt.

1611. Piæ cuiusdam virginis ad meliorem vitam transitus superioris infortunij luctum recreabit: ea aÑos vnde viginti nata viuebat apud sororem suam tanta vitæ integritate, vt nihil in eius moribus, quod non esset castum ac pium notaretur: nullus in ea ætate de connubio sermo, nullum illius desiderium; cuius etiam rei causa soror ipsa, quæ collocatam cupiebat, sæpius cum virgine amicè litigabat: illa verò, quæ domini sunt, curans, Deiparam virginem peculiari studio colebat, quotidie solemne illi eræ precatorium rosarium decurrere, solitudinis ac silentij erat peramica, patientiam egregie retinebat; denique vt vno verbo omnia complectar

vicinis

vicinis omnibus viuum erat virtutis exemplar: noluit eam Dominus diutius esse superstitem, sed è Iaponensi etiam viridario, quos plantauerat virginittatis flosculos, in ipso ætatis flore decerpfit; narrabat pia virgo, quinta quadam feria, sub noctem duos in candida sibi veste apparuisse, quos illa parentes suos, iam vita functos esse arbitrabatur, & sanè illi sanctè actam vitam Christiana morte clausurant: ij puellam ad se inuitabant, dicentes: Huc ad nos veni, Huc ad nos veni. Hoc viso nihil turbata, sed potius affecta gaudio, omnino persuasit sibi esse moriendum. Ergo posttridie accitæ sorori visum narrat: ait cupere sese ad imminentem sibi exitum strenuè comparare: sacerdotem igitur nostrum accerferet. mira res fuit: cum enim prius bellè haberet, vna cum viso nocturno, ægritudinis initia persenserat; soror verò medicum non sacerdotem accerfit, cui pia virgo, abi (inquit) in hac ægritudine medico nihil est opus, omnino enim est mihi moriendum: Cum igitur instaret, vt Pater acciretur, à sorore tandem euocatus aduenit: ac tametsi ab æde sacra non procul habitaret, eam tamen sacerdos noster minimè nouerat solitudinis apprime studiosam. Expiata est igitur magno Patris solatio, qui eius innocentiam admiratus, facilè intellexit Diuinum in ea rapienda consilium, ne malitia mutaret, intellectu.

Hoc

Hoc in Sabbathum inciderat, & die non longius insequenti in cælum, vti speramus, sub auro-ram, quo erat euocata, concessit, non sine omnium admiratione, qui ex ægritudine minime lethali, nihil simile verebantur: magno apparatu funus eius à Patre procuratum est, conuenientibus Neophytis vniuersis: laudata enim virtus crescit & in cæteros serpit imitando.

Non absimilis fuit exitus nonagenarij cuiusdam senis. Is in Insula quadam vitam agebat homine dignam Christiano, cum igitur ex ætate, & senili qua correptus fuerat ægritudine, iam intelligeret, extremum sibi diem aduenisse, cæteris comparatis, vna reangebatur: feretrum sibi diu ante coëmerat, vestes in egenos distribuendas, in funere parari iusserat, certam pecuniæ summam ad sacrificia seposuerat, aliaque fecerat omnia, quæ illi ad comparationem opportunam occurrissent: sed præcipuum illi deerat ex sacerdotis absentia pænitentiae sacramentum: neque hoc bono seni, qui cætera compararat, Diuina voluit benignitas deesse: cum enim ad extrema propè deuenisset, è nostris duo qui eam oram interuisebant, ad Insulam appulerunt: quod vbi senex audiuit, non secus exultauit, ac si duos Angelos aduenisse nunciaretur. Ergo accessit is peccata deposuit tanto animi exul-

exul-

exultantis iubilo, nullum vt finem faceret Deo
 gratulandi ob missos ad se hoc maximè tempo-
 re sacerdotes. Non ita multo post quàm peccata
 confitendo deleuerat, filium accersens: iussit
 Patribus renunciare, hac sibi nocte moriendū:
 rogare se vt ad funus suum Christianè curan-
 dum, vnus aliquis rei Christianæ administer, qui
 socios comitabatur, ad se mitteretur. Extinctus
 est bonus senex ea ipsa, qua prædixerat nocte,
 magna vel sua pace, vel spe salutis extemplo cō-
 secuta: eius funus insolito ijs in locis apparatu
 curatum, eumque omnes bis felicem prædica-
 bant, & sanctè obita morte, & funeris maiestate.
 Alteri etiam seni Dæmon suorum ministrorū
 opera infelicem exitum frustra procurauit. Is
 erat Neophytus rudis, & aliam precem nouerat
 nullam præter sacratissima IESU ac MARIAE
 nomina, quæ tamē frequenter in ore habebat;
 corripuit eum morbus, & morbo importunio-
 res Ethnici propinqui, instabant, vti à Christo
 deficeret, & ad idola reuerteretur. verū ille
 prudentius, quàm ab eo sperari poterat, ita re-
 spondit: agnosco me frigidè nimis Christi sacra
 coluisse, parumque scire de rebus Diuinis, sed
 velim tamen intelligant omnes me, tamen si sci-
 rem æternis ignibus, à Deo iustè addicendum,
 non tamen Christi sacra deserturum: malo enim
 me inferni pænis Christianum torqueri, quàm
 cæli gaudijs, si fieri posset, Ethnicum perfrui. ne-
 mo igitur

mo igitur me ad defectionem deinde sollicitet, cum enim Baptismi salutarem aquam exciperem, Patri cuidam Nicolao, è societate I E S V sponendi, me nunquam à Christi fide recessurum: Hanc ergo promissionem nullo vnquam tempore violabo: vnum dumtaxat cupio dari mihi tempus, ante actæ vitæ crimina, apud vnū aliquem è socijs deponendi: rescivit de senis victoria votisque vnus è nostris sacerdotibus, ad eum accurrit, expiauit, animauit, & ad sanctè moriendum comparauit; quod ille intra paucos dies est felicissimè consecutus. Alia plura congererem, si annales, & non ex annalibus commentarium compingerem: sed hæc è pluribus quædam sint satis: ex vngue qui volet leonem metiatur.

De Collegio & Seminario Arimensi.

CAPVT VIII.

ARimensis ditionis caput, Arima, duas habet nostrorū sedes, Collegium & alumnorum Seminarium: In vtraque hoc triennio è nostris minimū duodecim; summū viginti vixerunt, ex quibus nunquam pauciores septem, nec plures tredecim fuere sacerdotes. In Collegio aut perpetuæ, aut temporariæ prælectiones

G

Etiones

ctiones habitæ: pueri primùm legere ac scribere Europæo ac Sinensi more docti. ad duas Latinæ linguæ scholas, Philosophicæ prælectiones Magistri vnus, opera explicata, tum ad Catechisticas institutiones materiæ Theologicæ alumnis ita proponebantur, vt breuis compendij annum esset curriculum, alterius anni exercitatio, sectas Iaponienses omnes confutatura tractabat. atque ita biennio Alumnica consequerentur, quæ ad nostra confirmanda, alienaque refellenda Catechistis essent satis. Accessit his ad deductam ex Europa sociorum Coloniam, de Patrio sermone prælectio, qua cum satis imbuti videntur, vt iam intelligere possint ac intelligi, in varias sedes distribuuntur, in quibus vsu, linguarum Magistro, poliuntur. Hæc tametsi satis essent ad distinctendos, quos numerauimus socios, quia tamen in huiusmodi expeditionibus oportet vnum instar esse multorum, in excolendis Neophytis, Alumnis educandis, Ethnicis imbuendis, sedulam omnes curam posuerunt, & quidem de Neophytis & Alumnis consueta coniectari, peculiaria scribi oportebit. de Ethnicis pauca sunt commemoranda, ditio enim hæc vniuersa Christi fidem amplexa, iam diu Patrios Deos ciurauit, aduenæ tamen semper aliqui, ex alijs Iaponiæ partibus, in hunc portum commeantes Christi sagena concluduntur.

tar, atque hæc ferè sunt totum, de quo agimus, triennium peruagata. Nunc quæ singulorum sunt annorum persequamur.

1609. Arimensis maximè Dynastæ Ioannis ac Neophytorum Nobiliorum liberalitate, Nosocomium Arimæ, nostrorum arbitrato recens institutum, ad Nangasaquiensis exemplar duplex; alterum viris curandis, alterum fæminis; & à proprio vnumquodque sodalitiò administratur. Ea res ad Christianæ charitatis commendationem valet quàm plurimum, & animos insigni beneficio delinitos Christianè demulcet. Eiusdem quoque Dynastæ munificentia, nostram horum temporum tenuitatem, ex onerariæ infortunio natam, sanè liberaliter subleuauit, forte vt iniuriam refarciret idem, qui damna procurarat.

Anni superioris annalibus cum gloriosi Michaelis ac Ioannis Neophytorum, cum filijs Petro ac Thoma, fidei triumpho scriberentur, dictum fuit Martyrum capita publicè, ad terrorem aut exemplum potiùs exposita, perpetuis custodibus ita fideliter asseruata, vt nulla Neophytorum industria subduci potuerint, hoc anno Neophytus ea fidenter captato tempore, subtraxit in hunc modum. anni redeuntis primordia,

G 2

mordia,

mordia, Iaponio more festiuè celebrantur, ab ea pompa mos est omnia remouere, quæ marorem, aut mortis recordationem publicè, vt arbitratur cæca gentilitas, in lætitia renouare posse aut gignere creduntur. Sacra igitur pignora è publico subducta spectaculo, in ædes quasdam tantisper dum festiui dies effluxerint, retruduntur, ea tametsi custodes publicè adhibitos habebant, maxima tamen vigilantia pars, ædium fidei credebatur: itaque securitas incuriam peperit. ea vsus fidens Deo ac martyrum suffragijs, pretiosa Martyrum capita, quàm occultissime subduxit, domi tantisper asseruans, dum liber & sine suspitione transitus è Fingo, in Arimensem agrum sese aperiret. ea igitur nemine hæctenus conscio, socijs Arimensibus tradidit reliquo corpori coniungenda. hic recens thesaurus, menti suggerit illam translationem, quæ anno insequenti instituta est.

1610. Nam cum in communi sociorum sepultura ita iacerent hæc, & superiorum martyrum Ioannis & Ioachimi cadauera, vt ea temporis obliuio, cæteris posset permiscere: visum est in recenti memoria seponere, & decentiorè in locum aggregare. Ossa itaque Ioannis & Ioachimi, item Michaelis, Ioannis ac Thomæ (nam Petri reliquæ alibi asseruantur) in ædem sacram nostræ societatis illata, Et in sacello quod est sub ara maxima, deposita conseruantur. Ac tametsi

hæc

hæc sacrorum pignorum translatio nocturnis horis facta sit, ne audientem è vicino Tyrannum Conzuiedono pompa concitaret, primarij tamen vrbs interfuere. supplicantium ordo à Patribus ac fratribus alumnisque institutus, panegyrica oratio de Martyrum laudibus habita virtutem cohonestauit, & ad imitandum incitauit.

Hæc Arimæ fere gesta, sed eorundem sociorum, extra Arimensem agrum excurrit industria, prius eam persequar, quæ primo huius triennij curriculo peculiaris est, posterius eam, quæ quotannis repetita, in singulis habet quod narretur.

Saxuma ditio est è potentissimis Iaponici Imperij Toparchijs, & primum tentata ab Euangelij præconibus, peculiariter à B. Francisco Xauerio, rei Christianæ inferendæ sedes. Eò missus est sacerdos vnus è nostris, prætextu salutandi Toparchæ (quod annis singulis fieri solet) sed reuera rei Christianæ eo in regno, contra impendentis procellæ impetus muniendæ. Vtrumque perfectum est, at quia nihil peculiare, persecutionis causas & ordinem persequamur. Huius regni Dynastæ, Iaponio nomine Yacata nominantur: qui nunc regnat, parentem habet & auum, etiamnum superstites, à quibus regni gubernacula de Iaponum more gubernanda suscepit. Is in Religionem nostram propen-

G 3 sior, è

fior, è D. Dominici familia, concionatores confidere, & annuam nostrorum excursionem patitur. Id secundum Deum res Christiana debebat nobilissimis aliquot Neophytis celebris illius Augustini quondam affectis, è quibus duo se supra cæteros extulerunt, Iacobus & Andreas. Et hic quidem equitandi, Iaponiorumque rituum aulicorum peritissimus, Yacata Dynastam veriusque rei disciplina imbuebat. hic erat huius regni status ante recentem tempestatem.

Cuius causas duas lego, communem alteram, alteramque priuatam. nam cum huius regni incolæ, supra Iaponios omnes, Ethnicis sint fabulis addicti, earumque inuentores sacrificulos cultu peculiari, ac veneratione prosequantur, facile illis fuit pro eo, quo in rem Christianam odio concitantur, nascentem in ortu suo Evangelij sementem præfocare. verebantur enim, quod in alijs regnis audiebant, ortam frugem, ac multitudinem diuulgatam non possent extirpare. Non nesciebant Andream Dynastæ moderatorem, discipulo suo Christianos ritus, vnâ cum reliquis disciplinis instillare, superstitiones illi multas suis consilijs eripere, & sensim simulacrorum inanitatem explicare; Cui malo suo vt irent obuium, Yacatas seniores, Parentem aumque periculi admonendos censuerunt, hi enim Patrijs commentis addictissimi, sacrificulorum mendacia pro oraculis habebant.

habebant. Asserebant igitur Saxumanum regnum hactenus Deorum benignitate conseruatum, in extremam labi velle perniciem, si aduersam Dijs patrijs legem, externosque ritus, vernaculis permiscerent. Et multa metuentibus ac molientibus, in manus lapsa recens occasio, eius quod meditabantur perficiendi, commodam præbuit facultatem.

Commendata ab Imperatore Cubo Saxumano Yacata vicinarum Insularum expugnatione, quam primo capite narrauimus, visa est non negligenda somniandi fingendique materia. Sacrificuli ergo aliquot, quibus sanctitatis opinio fraudis suspicionem deterferat, Yacatas seniores se ab Dijs indigetibus (Camis & Fotoques vocant) in somnis admonitos commenti sunt, si eam expeditionem Yacata Saxumani esse vellent fortunatam, vti ne externam in regnis suis legem esse paterentur. Hæc seniores pro oraculis exceperunt; Iunior etiam auctoritate maiorum permotus, & aduersæ fortunæ metu deterritus, in animum sibi induxit non negligendam esse tot capitum sententiam, nec fortunam suam in externæ legis fide reponendam.

Et quoniam Christianam Religionem placebat ita concutere, vt tamen eius ruinæ nihil ad Andream, quæ sibi retinere statuerat, pertineret, ab eo expugnando persecutionis primordia

inchoavit. Id varijs artibus facere contendit;
 maximè quas spes promissis illecta suggererat.
 Verum hæc omnia ita respuebat Andreas, ut
 spem cælestium rerum, labilium vanitate non
 quassaret. frustra tentatum igitur tenacem pro-
 positi virum, alio ariete petit, vrget uti saltem
 filium à Christi religione desciscere permittat,
 eo consilio, ut detractas illi Religionis causa
 fortunas, in filium transferat, in cuius umbrâ
 delitescere & Saxumano in regno retineri sine
 maiorum suorum & sacrificulorum offensio-
 ne, bonis ad speciem dumtaxat exutus posset.
 sed neque hoc ab eo impetrauit, qui cum alios
 ipsumque Regem ad Christi sacra pelliceret,
 iniquum videbatur, id filio dissuadere, quod cæ-
 teris persuaderet. Ergo bis victor de seac filio,
 importuni sollicitatoris spem elusit, qui ne sic
 quidem Andreae pertæsus, silentium sibi impo-
 sterum de religionis rebus indixit. Non fuit An-
 drae leuius cum reliquis Yacatis, regni que pri-
 moribus de fidei causa certamen. Verum ubique
 victor de omnibus triumphavit, magnumque
 illo in regno constantis, ad cæteras animi dotes,
 viri nomen sibi comparavit. Etiam Andreas
 inuitis omnibus Christum profitebatur. Verum
 attentius secum ipse ratiocinatus quantum ipse
 filiusque inter continua prælia, suæ salutis di-
 scrimen incurrerent, cum interim Christi cos-
 lendi, tantâ, quantam vellet, non habiturus esse
 set, fa.

set, facultatem; maluit aliò concedere, vbi quod honoribus fortunisque detraxisset, id omne in libera pietatis exercitatione reponeret. Ergo spretis omnibus, è Saxumano regno egreditur, stupore omnibus relicto, quòd tali studio Christum coleret, vnde ei cæterarum rerum fastidium nasceretur.

Non in solo Andrea Saxumani Dynastæ artes eluduntur. Erat Jacobus Nobilis totâ Iaponiâ, militum Ducis filius, de quo sæpe in superiorum annorum monumentis agitur: hic toto Saxumano regno Neophytorum primorum princeps, cuius vniuersus militum comitatus Christianis æquè sacris erat initiatus; merebat enim sub Tacata Saxumano militibus centum octoginta, quam ad rem annuo censu copiosè donabatur. Eum Dynasta sibi adiungere ac retinere non minus quàm Andream cupiebat: non parentis solum Didaci memoria gratiosum, sed proprijs quoque facinoribus animoque Nobilem: Hunc igitur vt expugnaret, non praua solum consilia promissis ornauit, sed minis etiam ac mortis intentatione fundendique sanguinis tenore purpurauit: sæpe illi famem & suorum orbitatem, quos in intima nemora delegaturus erat, grauius exaggerabat, ac denique nihil importunus iuuenis, Dæmonis minister acerimus, reliquit intentatum. ad hanc Dynastæ acerbitatè, nescio an grauior erat, certe numerosior,

G 5 rosior,

rosior, arietantium eodem impetu amicorum
 multitudo, & aliàs vtilis, modò inutiles e-
 rant, & tristes amicitia: ætatis illi florem, for-
 tunarum copiam, spes futuras obtrudebant, nec
 illi in posterum ad procurandam salutem tem-
 pus, inclinata ætate, defuturum: interim veni-
 entes à prora ventos in puppim excipiens
 temporum iniquitatem sequeretur. Hæc illi
 pro sua cæcitate consilia in mediam lucem in-
 gerebant: verum Iacobus qui Christianæ reli-
 gionis lance omnia perpendebat accuratius,
 ita reiecit iniqua consilia, promissorum blan-
 ditias, spei vanitatem, metûs umbras, vt su-
 pera promissa, æternas spes, sempiternos me-
 tus, plus semper ponderis habere reperiret. Ita-
 que vno verbo ita respondit, se nulla rei cu-
 iuspiam acerbitate inducendum, vt salutem
 in Christiana lege compertam abijceret; & ac-
 ceptam à parentibus fidem perfidè proderet
 maximè quod ex morientis parentis volunta-
 re, iure iurando promiserit, se in ea victurum
 semper atque moriturum. Vbi igitur in lon-
 go certamine diu lusit operam Saxumanus, de
 eo quàm primum ablegando sententiam pro-
 nunciavit inuitus, senioribus Yacatis parenti
 & auo & importunis sacerdotibus obsecutus:
 Ergo proscribitur Saxumâ Iacobus vna cum
 plerisque familiaribus & asseclis, qui amicitia
 sanctè colentes, coegerunt eam pietati famulari
 venit

venit igitur Nangasaquium fortunis omnibus exutus, ut pauperem inter Neophytos vitam degeret, quoniam abiectus elegerat esse in domo Dei sui, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Horum Neophytorum nobile par, è Saxumana persecutione selegisse sit satis, tamen alij fuerint complures, quos exempli similitudo silentio inuoluit. Nec mitior fuit in Euangelij præcones, quam fuerat in Neophytos: nam è D. Dominici ordine patres expulit, quos ibi sedem fixisse supra monui, & visitationem nostrorum, quæ per otium bimestris esse consueuerat, ac reliquam deinde, quæ potuit Christianæ legis memoriam è regnis suis abstulit: quanquam adhuc ibi stirpes latent suo aliquando tempore erupturæ, verum ad alteram excursionem tandem aliquando veniamus.

1609. Arimensi agro conterminum est regnum Fingo, Conzucedoni atrocissimi Tyranni sedes, qui se quidem aliquot Neophytorum sanguine fædauit, sed Ecclesiã consecrauit. missus est in eam sacerdos noster quàm occultissimè fieri potuit, à quo dies viginti in veri pastoris officijs continuo sunt labore collocati: nihil attinet penitentes numerare, cæteraque huiusmodi plurib⁹ verbis texere, hoc sit satis, nullum à similibus studijs spatium inane fuisse visitanti: ex ipso Tyranni conclau, mulieres aliquot

quot Christianæ solitudinis suæ claustra non sine vitæ periculo ingeniosè perruperunt, vt animorum discrimen expiatis criminibus euitarent. Idem fecerunt aliæ nonnullæ Ethnicorum dominorum famulæ, quas eadem leges, idem vigor intra solitudinem continebant: ad antelucana sacrificia, vigilatis sub joue frigido noctibus anhelabant, & longum absentis solarij desiderium, periculi memoriam adimebat. Verum ne totus sim in omnibus incerto ictu colaudandis, ex omni numero vnus mulierculæ feligam pietatem.

In arce ac familia Tyranni, vxori è multis vni Christiana pedissequa famulatur. Illius iam diu fides nota pietasque publica, varijs se certaminibus laceffendam dedit: Verum Diuina hactenus victrix, quo fidem ardore retinuit, pietatis exercitia conseruat. Ingeniosa illam necessitas docuit sacram imaginem ita semper habere presentem, vt tamen indignis aduersariorum oculis, qui eam laturo non essent, subducatur: nam papiraceis obducti parietes inuolucris (quæ sæpe lapones orandi causa concinnant) imaginem ita tegit, vt quoties remotis arbitris voluerit, eam possit aperire: & quoniam nulla illi, ad corporis flagellationes solitudo conceditur, ieiunia sibi frequentius indicit, & abiecta quæque ministeria, quibus eam conditio liberat, studiosè conquirat: atque ita securam in medio nationis

nis prauæ fidei gemmam asseruat, quam nec tot obices à seruanda pietate deterrent.

1610. Non hic solum annus nobili in afflictam Ecclesiam excursionem lætus fuit, insequenti quoque biennij communis fructus idem, aut potius maior fuisse perhibetur. illustriora nonnulla seligamus. In quodam pago ab Regia Cumamoto, leucis octo vnicus est Neophytus Antonius nomine, eius frater olim quidem renatus, se pro Ethnico gerebat: eius filiam quatuor non amplius mensium infantulam dæmon inuasit, ita certis eius rei signis, vt pertinacem quemlibet euicissent; nam id ætatulæ puellulam audiebant omnes voces quasdam articulatè edentem, quas Iamboxij (sacrificulorum genus) in suis deprecationibus ac rituum formulis, dæmoni peculiariter honorato, pronuciare consueuerunt. his adductus Antonius nihil planè dubitauit, cuius id fraudibus eueniret, & ad parentes conuersus ait, nihil hoc aliud esse nisi vindicem Dei manum, quam ipsi deserta fide prouocassent. Verùm confidere se, si puellam Christianam fore uouerent, à se Dæmonem eietum iri. concepere votum parentes amore victi, & melioris remedij penuria persuasi, tum Antonius sacram cerei agni particulam, quam secum habebat, ex energumena collo suspendit: ipse quas nouerat precandi formulas, qua potest animi contentione recitare aggreditur:

Mir

Mira res! vix orationem Dominicam, & Angelicam salutationem bene recitarat, cum Daemon neque sacramentum, neque feruidas Neophyti preces diutius ferens, puellam dimittit, & mutum ætatis silentium, absentia signum in infantula reliquit. Obstupere spectatores, sed & ipse Neophytus vix sibi credebat tanta celeritate salutem puellæ, vi diuina restitutam.

Alio in pago Neophytus est nomine Matthias, magnæ virtutis vir, & alienæ salutis percupidus, quam in pastorum absentia, qua potest sedulitate, procurat: eo in pago pueros complures variolarum lues, & in ijs quadrimum Matthiæ filium corripuerat: pertinax malum eo puerulum adduxit, vt à Matre ac reliquis pro mortuo haberetur: solus Matthias in solo Deo spem reponens, & non in humanis remedijs in quibus ceteri confidebant, quoties puer animam agere videbatur, aqua cum lustrali aspergebat, & oratione prosequabatur, certus omnino, hoc præ cæteris, quæ adhiberi possent, præsentissimum esse medicamentum: Ethnicorum plurimi eum, quod solitas pro pueri salute profanorum recitatorum deprecationes negligeret, increpabant: Verum hæc Matthias consilia risu ac iocis accipiens assererat, puero salutem vi lustralis aquæ restituendam: ad extremum puer ad extrema deuenit: ad expirantem currere vicini, iamque omnibus cum expirasse credentibus:

ipsa pueri parens cæteri que domestici in lugubres planctus prorupere: aberat domo tum forte Matthias, sed domestico eiulatu admonitus recurrit, aduertitque, humanam spem, nec salutis nec vitæ ullam superesse, & tamen nihil turbatus, aut Deo diffidens, ex oratorio aquæ lustralis vasculum accipit, puerum nixus in genua conspergit, & orationem de more, sed insolito ardore instituit, quem præsens necessitas accendebat. audiuit Deus precantem, nam subito puer ad se redijt, vitæ que reddi visus est, ac deinde quotidianis incrementis, salutem sensim in tuto collocauit. Id omnes pro euidenti prodigio habuere, quod planè constitisset, nihil ad vitam humanæ spei superfuisse. Simile in dissimili genere fuit, quod sequitur: Maria Neophyti antiquioris vxor, quæ insigni quoque in Deum pietate, ac fide prædicatur; accidit autem vt vicinæ ædes cõflagrarent; incendij propinquitas, ventique vis in ædes Mariæ ignium vortices afflabat, & arce-re volentes ab ædium culmine iam flammæ viciniore arcuerant: ergo ex ædibus, quæ possunt, omnia extrahunt, de inhibendis iam ignibus desperantes: Maria nihil ægrius latura erat, quam si sibi Deiparæ effigies, quam habebat charissimam, in eo vel tumultu vel incendio periret: ergo certum hominem rogat, vti eam præ cetera supellectili in tuto locet: intrauit ille, nec effigiem solito in loco, nec vspiam alibi cõspexit, idque Mariæ renunciat, eam ægrius
quam

quam ædes ipsas amittenti: Verum quoniam delegerat virgo Deuotæ sibi mulieris ædes, ab ijs eripi sese non permisit: iam eo serpsent flammæ vt contiguas tecto arbores ambureret: domus erat straminea, nec tamen arsit, incendio se ipsum nulla ex causa sopiente. nulla res prodigio similior visa est; ideoque plurimorum sermonibus celebrata: imago ipsa sese quærenti videri potest subtraxisse. nam sopitis planè ignibus, solito loco reperta est magna Mariæ gratulatione, quæ eam in rebus amissis numerabat. cui dubium ergo videri debet, quin virgo suas ædes ab igne protexisset? In præsentis Fingensis agri visitatione, Dynastæ absentia caprata fuerat, vt minore periculo lustraretur; tanta tamen fuit Neophytorum, concurrentium imprudentius multitudo, vt res palam eruperit & ad redeuntis Tyranni aures deuenerit (habet enim suos quælibet aula delatores) accusati nonnulli exilium ipsum in pænam, qui mortem in præmium sperabant, pertulere; duo tresque, ita se gessere, vt annalium memoriam mereantur; sed Iaponensium Neophytorum generosus animus id præter cætera perfecit, vt alioqui admirabilia quotidiana frequentatione vilescant. Ergo ad insequentis anni visitationem exponendam paucula subiungamus.

1611. Militis inter plurimos Neophyti
constan-

constantia eò maior fuit, quò periculum propi-
 us aspexit; cui se volens exponebat, si tanta in
 Tyranno fuisset peruicacia, quanta fuit in Neo-
 phyto constantia. Is à proprio suæ cohortis du-
 ce, qui acer erat Christiani nominis, ad exem-
 plum Dynastæ, inimicus, importunè ad fædam
 à Christo defectionem sollicitabatur, eamque
 miris artibus procurarat, mortem etiam acerbis-
 simam intentando: nihil tamen aliud conse-
 quebatur, quàm, vt inuictus Christi pugil se ipso
 in dies fortior, ad eam mortem fortiter sube-
 undam compararetur: post multa vltro citro-
 que agitata, victus est Ethnicus constantiâ Neo-
 phyti, ferocia posita facultatem ei fecit in po-
 sterum pro arbitratu viuendi: quod hodie facit
 accuratè nullo renitente. Non impar fuit in con-
 iuge ipsius virtus: nam per eos dies, quibus ma-
 ritus in Christi causa decertabat, neglecta re fa-
 miliari, ad mortem pro fide subeundam sese
 continua oratione comparabat: cuius est hoc
 facinus domesticum quidem, sed admirabile.
 Tristis de absente filio nuncius aduenit; eum ex
 itinere cum Miaco rediret naufragio in Ximo
 perijsse; affecit vtrumque parentem ea res, vt
 par erat: tridui comploratio domi fuit; cum ec-
 ce tibi ex inopinatò filius è naufragio saluus &
 incolumis aduenit. Parens obuiam egressus, in
 filij (quem velut à morte rediuuium excipie-
 bat) amplexus ruit: mater verò conspecto filio

H

materno

materno amore superior in oratorium se reclinat, ubi gratias per otium de recepto filio, bonorum omnium largitori refert: tum ad filium egressa, naturæ amorique materno indulget, sibi ac filio salutem gratulata. Ea res à Neophytis excepta est insigni virtutis comprobatione, quam imitandum proponebat exemplum.

Incendium hoc quoque anno prodigiosè restinctum ita scribitur. Corripuerat ignis ædes quasdam Neophyti ædibus vicinas: is cum videret nullam sibi in humana ope spem esse reliquam; ad Diuinum confugit. Ergo Christi in Cruce pendentis effigiem domo eripit, eamque hastili prælongo infixam secum in ædium tectum quo conscenderat defert: ex eo illam ignibus opponit, magna fide, mira res! effigiem reueritus ignis, cursum auertit reflante repente vento, ædesque Neophyti cum spectantium stupore dimisit intactas. ipse deinde Neophytus recenti beneficio sua DEO dona est gratulatus. De Arimensi oppido satis: sedes nos vocant eidem collegio attributæ.

*De sedibus Arimensi Collegio
annexis.*

CAPVT IX.

Quo-

Quotquot in Arimensi agro sunt nostrorum sedes, ab Arimensis Collegij moderatore dependent, eas initio quinque, postmodum sex omnino fuisse reperio: in quibus sub principium duodecim, post etiam quindecim à nostris consedere, cum socijs videlicet in singulos distributis sacerdotes, præter cæteros rei Christianæ ministros. Ab his, omnibus res Christiana non absimili, quàm cæteris in locis sedulitate procurata. hac enim vniuersim loquendi formula, consueta multa, meo instituto amplector.

1609. Erecta est in his sedibus à fundamentis ædes noua, Neophytorū tenuitate, cum munificentia decertante, in quibus euexit se supra cæteros loci præfectus, pius in paucis, ac Religionis studio Nobilis Neophytus: huius maximè opera in æde noua, nouo etiam pietatis genere in corpora sæuitum: solebat ante erectam ædē, ille, quē dixi, Præfectus, per singulos solemnem ieiunij dies communem totius familiæ flagellationem instituere: post lectionem de dominicis tormentis ex aliquo pio libello, hora ferè dimidiata peritam, & domesticū illud institutū, post instructam ædem, in publicum totius loci bonū euulgauit: nam post similem pij libelli recitationem, & inuocatos litaniarum ex ordine Diuos, omnes acriter flagellis, quo spatio quinquagesimus psalmus commodè pronuntiatur, singuli

H 2 in sua

in sua terga sæuiebant. Id institutum nullo vni-
quam die, præterquam festo paschatis perui-
lio. Dux cæteris Neophytis Præfectus, cum suo
grege intermisit.

Quod subiungam omitti poterat, quod alio
quanto remotius ad Neophytos pertineret; sed
velut in comædijs interludia, sic hæc quoque
narratio interponatur. Præfecti Ethnici vxor in
pago Neophytorum Arimensium terris conter-
mino, grauitè ac periculosè decumbebat; mor-
bi genus erat insolens, & habebat omnes non
parum suspensos: demum ægritudinis auctor
se ipsum prodidit, nam cuius animam occupa-
bat, corpus etiam cacodæmon inuadens, ægræ
mulieris ore loquebatur. aiebat esse se vulpem
ab vna è domesticis pedissequis in heram ideo
immissam, vt priuatas quasdam iniurias vindi-
caret: erant eo in pago vulpium cateruæ, qui-
bus etiam agri miserabiliter, sed impune vexa-
bantur, ideo quòd eas Ethnici venerantur, &
reuerentur non quidem vt numina, sed velut
Dæmonum ministros, quibus eum vti frequen-
ter putant, ad mala quæ placuerit mortalibus
procuranda: ne igitur quicquam ab offensis
vulpibus detrimenti patiantur, eas etiam ab a-
grorum vastatione prohibere reformidant. ad-
hibiti ergo in consilium coniectores, asserue-
runt vulpem vnã oportere sine vulnere com-
prehendi. laqueis igitur ignara vulpes, è solita
impunitate facilè induitur, & in caucam immissa
multis

multis blanditijs ac ferculorum cupidjs delin-
 nitur, vt hac ratione vulpem Præfecti hospitem
 importunam subinde placarent. varij euocan-
 tur ad insolentem rem venefici, varij ritus ad-
 hibentur, voto semper concepto, se vulpem,
 quam habebant in vinculis tum demum dimif-
 suos. cum vulpes Præfecti coniugem ægritudi-
 ne liberasset: Verum nihil hæ recitatorum de-
 preces, vulpem illam cui verba dare diffi-
 cile est, fallebant: Ergo damnata ciuium conie-
 ctorum arte, externus alius famâ Nobilis accer-
 fitur: ille post multa schedulam scripsit, quâ
 vulpis fæminam liberaturæ negotium, in se re-
 cipiebat, & sponso rem vulpinæ fidei se subscri-
 bebat: ea dein schedula, è vulpis captiua collo
 suspenditur, cumque eam adhibitus tonsor
 elegantem in modum, raso pilo capitis, concin-
 nasset, pigmentarius nescioquis, fuce muliebri-
 ter delibutam, in nemora liberam amisit. Ea re
 inferna vulpes, vt amplius falleret, velut propi-
 tiata, dies paucos à vexanda Præfecti coniuge
 conqueiuit: post verò aliquot dierum intermis-
 sam vexationem, acerbius miseram mulierem
 adorta, causam sciscitantibus, ridicula vulpes ita
 respondit. Cùm me nuper muliebriter pinge-
 retis, & comeretis, indigno modo dens mihi
 excussus est, ad obfignandam enim schedulam,
 vulpis sanguinem coniecto rem necessarium asse-
 rat: quem ex ore elicuit nouacula cuspide. in-

iuriam vulpes reuerſa quærebat. aſſerens non ſe prius abituram, quàm huius iniuriæ pæna placaretur. loci Præfectus hæcenus vulpem tulit: ſed iam excandescens ridiculis vulpinisque commentis, in patrias vulpes omnes ſententi- am mortis tulit, earum igitur magna ſtrage facta; vna illa vulpes muliebriter fucata, quæ maximè ad pænam quærebat, nusquam comparuit. Denique alius etiam celebrior coniectator adhibetur, cuius hæc fuit, digno dæmone miraculo, per ſanandi ratio: è pedissequis vnam legit, in quàm vti pro heræ commigraret. Dæmon, varijs ritibus atque carminibus impetrauit: atque ita miserabiliter ancilla in poſterum torquebatur. Ea res inter Neophytos celebri ſermone vulgata, dedit aptam sanè materiam infernæ tyrannidis detestandæ, & Chriſtianæ libertatis collaudandæ, Deique beneficia celebrandi, quibus è tam denſis ſuperſtitionis tenebris, in meridiana luce clariorem, translati eſſent.

1610. In Arimensem agrum nonnulli aduenæ Neophytis incolis in communionem fidei ſeſe adiunxerunt: ij annis ferè ſingulis plus minus centenario numero continentur. Et Fin- genſes Chriſtiani, Dynaſtæ tyrannide oppreſſi, ex hac vicinia procurandæ ſuæ ſalutis captant occasionem. eos inter Neophytus quidam longiorem peregrinationem, negotiorum cauſa in- gressurus,

gressurus, voluit ad eam prius vtriusque se sacramenti, pœnitentiæ & Eucharistiæ, velut viatico præmunire: ergo itinere bidui ad maris ripam pergit eo consilio, vt inde in Arimenses terras, Tacacu vocari solent, transmitteret nauigio: peruenit igitur in portum sed ferius: nam hyberno tempore nix multa deciderat, & procelloso nubiloque cælo, ac mari, nauigij facultas non erat, nec breui futura videbatur; mora illi omnis erat intempestiua: nam ad constitutam diem heri sui negotia, à quo mittebatur, erant necessario transigenda. ergo consilium incensæ pietati necessitas præsens, nouo more suggestit: nam sub solis occasum littus repetens in eo genua ponit, & ad eas Christianorũ terras, in quas transmittere parabat, conuersus ait. O sanctæ Christianorum Regionēs, in quibus neque templa desunt, neque sacerdotes: felices etiam atque etiam ij, qui vos incolunt, huc vsque perueni ad vos transmissurus, & peccata expiaturus: verùm quoniam cælo repugnante prohibeor, hinc saltem conuersis ad vos oculis, non secus atque ad sacerdotis pedes prouolutus, Deo peccata mea confitebor, quem spero vota pro facto suscepturũ. Hæc dixerat, & mox peccata ex ordine aperit, quo maximo poterat pœnitentis animi sensu, ac meliora proponentis. Mira res! cum hoc ipsum etiam nunc ageret, Diuino sine dubio nutu in eum

H 4 ipsa

ipsum portum scapha deuenit: eâ viri tres non amplius uehebantur, ex ijs quærit Neophytus, qui sint, & vnde veniant? respondent: se ex Tacacu Christianos esse: qui quod patriam, per temporis inclementiam repetere non possent, in hunc se portum recepisse. exiliij gaudio Neophytus, nihil iam dubius, hoc sibi à Deo nauigi-um transmissuro adesse: ergo illis consiliũ suum aperit: ac rogat, vt se in eum locum vbi sacerdos esset, extemplo transmitterent. Verùm nauæ temporis asperitatem periculumque causati refugiebant, paucitatem quoque suam obtendentes: Neophytus verò nulla re territus vrgere cæpit, vt se amore Christi transmitterent, de cuius bonitate par esset confidere: in hac vtique causa fieri non posse, vt eo Duce à portu aberrarent: & si quidem de sociorum nauiticorum paucitate ageretur: se nauicæ rei peritum in clauo futurum: Istis adducti nauæ, Neophytum in scapham recipiunt: ipsique simul omnes ingrediuntur. Tam densæ erant tenebræ, vt vix iter agnoscerent, & tamen Diuina eos Prouidentia, cui se commiserant, in opertũ portum recto itinere deportauit: quem illi agnoscentes, in eum selati ac Deo grati immiserunt. Neophytus Patrem adiit, peccata confitendo deposuit, sacrum etiam ad iter viaticum sumpsit; inde solatij plenus ac spei, cæptum iter est profecutus.

Hoc

1610. Hoc ultimo triennij curriculo, antiqui Neophyti, qui pagum & portū Cucinotzu, incolunt, continuis precibus sacerdotem sibi dari, qui apud se consideret postulantes, ad eamque rem sumptum omnem offerentes, demum hoc anno impetrarunt. Ex hac sacerdotis nostri cum socio statione, crevit Neophytorum in studio religionis feruor: nam apud eos Deiparæ sodalitiū est institutum, idque vna cum suo habitu ac symbolo ad Nangasachiensis Ecclesiæ Cathedralis exemplar: huic institutioni initium datum sacro Natæ Virginis die, solemni cantato missæ sacrificio, cui interfuerunt è nostris sacerdotibus ac fratribus, imò alumnis nonnulli ad augendam celebritatem: Instituta quoque supplicantium pompa, in qua noui omnes parthenij sodales, incensis facibus aut cereis instructi, suo habitu insignes procedebant: ea res vt erat noua & ex urbana celebritate rusticatū euocata, Neophytos ad pietatem accendit, & nonnullis, spiritualis solatij, lacrymas elicuit: sed neque Ethnici ad spectandum fama euocati defuerunt, qui rerum nostrarum opinionem, si nihil amplius, domum retulerunt. Verū ex omnibus Neophytis vnum, si lubet, alterum uere aliqua illustriorem seligamus.

Inter eas inimicitias, quæ inter Neophytos conciliatæ sunt, insignis fuit cuiusdam in conciliandis dissidentibus modus. Neophytus vnus

H 5 aliquis

aliquis alterum ita grauiter offenderat, vt à Magistratibus comprehensus ad mortem damnaretur, nisi fortè qui iniuriam acceperat, condonaret: id vbi audiit, qui se conciliatorem immittebat, ad offensum se contulit, & opportuno tempore, sexta erat feria quadragenarij ieiunij, in qua ex more, de Christi domini tormentis ac morte fuerat è superiore loco declamatum: ex eo igitur post varia sciscitatur, audierintne eos, qui de Christo passo sermones habiti fuerant? annuit ille: Tum Neophytus, aduertisti, ait, Christum Dominum proditori suo, nec amplexum negasse, nec osculum, & in cruce pro ijs, à quibus in eam agebatur, exorasse? aduertit, ait ille. Quid est igitur, infert Neophytus, quod tu homo mortalis cæli ac terræ Dominum minimè imitaris, amplexarisque eum, à quo iniuriam accepisti? Tum ille, sine dubio tactus à Numine, nihil habeo inquit quod refugiam, Ergo amore Domini mei IESV Christi iniuriam omnem ex animo offensori remitto: atque ita vita damnato redditur: cum cæterorum, qui audierant summa comprobatione.

Hæc in Deum Neophytus: quod sequitur Dei erit in Neophytos, fidei nostræ capita confirmantis exemplum. In quodam huius ditionis pago Neophytus obiit, qui annis ante obitum paucis, Religionem sibi sanctius colendam susceperat: in sacras ædes frequens etiam
remoti-

remotiores itabat, nec ab ijs recedebat, quam-
 diu sacra peragebantur: eum vita functum fili-
 us cū propinquis, celebriori funere, & missarū
 sacrificijs Christianè fuerat profecutus, & in
 ipso tumuli loco, cruce ab iisdem erecta, fuerat
 solito religiosius parentatum. Post dies paucos
 alta iam nocte puellula, defuncti neptis, subita
 ægritudine corripitur: accurrere parentes; &
 quoniam videbant eam insolentem in modum
 gesticulari, aqua lustrali consperferunt: puellu-
 la intulit, date mihi hanc aquam bibendam; est
 enim admodum salutaris. Dederunt eius roga-
 tu semel atque iterum; sed illud mirum erat,
 quod eadem non amplius sua, sed morientis aui
 voce loqui videretur. stupentibus ad eam rem,
 dixit; accersite mihi amicum meum, (& Neo-
 phytum quemdam nominabat eiusdem loci in-
 colam) ergo qui aderant quæsiere, quid esset
 causæ cur iam vita functus ad suos rediret? is re-
 spondit sibi causam non deesse: ergo vbi adue-
 nit qui vocabatur, & cum eo plures rei nouita-
 te plecti; istæ voces, cuiuscunque tan-
 dem ore aut voce referrentur, auditæ sunt.
 Gratias vobis ago, quòd funus meum Chri-
 stianè curaueritis, & cruce in tumulo erexe-
 ritis: hæc enim mihi omnia profuerunt.
 His dictis vox ista & sonus aui puellulam
 breui spatio velut mortuam, dimisit, quæ
 paulo post sibi reddita, ægritudinem
 omnia

omnem expulisse animaduersa est. Hæc ubi vidit puellulæ parens, pro parente etiam pluramissæ sacrificia celebraui iussit: & idem cæteri eius propinqui & amici præstitère. Ea res multorum, qui interfuerant auctoritate confirmata longè lateque peruasit: quod diuino consilio quis dubitet factum in viuorum emolumentum? nam eo in pago alijsque vicinis exinde frequens sermo: quàm utile esset vitæ functione Christiano ritu parentare: quàm vera essent, quæ sibi à Patribus de alia vita dicerentur; quàm certum, hominis animum esse immortalem, eumque bonorum ac malorum præmia recipere. hæc enim atque alia ex hoc euentu colligebant: & si qui fortasse de his non satis Christiane sensissent, in accepta fide confirmabantur, & rei quidem veritas, non ex sola narrantium auctoritate constitit; sed è fructu vitæ melioris, qui oculos maxime rei testes tetigit; omnes enim in seipos descendentes, insignem morum ac vitæ mutationem instituerunt.

De Rei Christianæ in Insulis

Amacusanis progressu.

CAPVT X.

DVO sunt quæ Amacusanas Insulas excolentibus, magnos pariunt labores: nam primum montana regio, non nisi multis sudoribus peruias

peruia, excursions ad Neophytos diuersissimis locis sparsos præpedit, & excurrentes mirè fatigat: Verùm fructus laborem lenit, si non planè abstergit. Alterum quod huius vineæ cultores detinet, est, Dynastæ in Christi fidem maleuolentia eò grauior, quòd insolitam superiorum annorum sub Christiano Principe amissam libertatem luget: in his tamen insulis Dynasta, si sic licet dicere, conuiuente, tres nostrorum sedes numerantur, quarum hæc sunt nomina Xiqui, Confura, Saxinoxu, verum è tribus vna, tertio de quo agimus anno, detracta est, ideo quod Dynastæ facultas, sese ad sacerdotes è nostris duos contraxisset; detracta igitur Saxinoxu cæteræ solitum cursum tenent; in his anno quolibet sexaginta ferè ad Christum accesserunt: Ethnici enim complures qui prius deerant, vna cum Ethnico Dynasta confluxère: magnus est semper Neophytorum feruor, quoties maximè suis temporibus reuifuntur;

1609. In quodam Neophytorum pago festorum dierum sanctitatem, cæterorum exemplo neglecto, quidam seruili opere facile violabat: ea res cæteris erat offensionis, nec tamen sese violator corrigebat, nisi prodigio territus: quoties enim per eos dies, quibus seruilia opera interduntur, ad opus suum pergebat, toties in fædissimum colubrum ex itinere incidebat, eum
sæpius

sæpius conficere conatus, cùm quoties ietum parabat, ex oculis sese coluber prodigosè è subducit. ea res sæpius repetita effecit, vt se ipse Neophytus inspiceret, & imisso diuinitus prodigio ad emendationem vteretur. Tenacior fuit Ecclesiasticorum præceptorum mulier, quæ nuptiarum causa, cum in sponsi pagum deuenisset, præter opinionem in absentiam nostri sacerdotis inciderat: ergo adduci nunquam potuit, licet à sponso sæpius euocata, vt in eius ædes migraret prius, quàm in Ecclesiæ facie rite contraxisset: bimestre igitur spatium alijs in ædibus præstolata, nuptias distulit, & cæteros Neophytos exemplo salutari admonuit, quàm non temerè Ecclesiastica præcepta negligenda. Non absimilis huic fuit, nisi quod in Diuinis præceptis obseruantia versabatur, Alterius Neophytæ, castitatem suam defendentis, constantia: neque enim illa strictum pugionem verita est. vulnus in corpore excepit, ne animo sauciaretur. Eiusdem fortasse est argumenti, vt in omni ætate sexuq; constantiæ demus exemplum, quod puero Neophyto scribitur contigisse. Eum parentes æque Neophyti secum ad amicum sacrificulum deduxerant, officij causâ visitandum: sacrificulus officiosè Neophytos excipiens in fanum deduxit, & orizam tostam obtulit, quæ prius coram simulacris Ethnico ritu constiterat. Neophytum parum Christianè officiosi, quod oblatum idolis
constat

constabat, degustarunt: sacrificuli offensam subtrahentes, eius quoque portio à sacrificulo puero oblata: verùm ille nihil parentum exemplo permittus de pietatis rigore remisit: nam sacrificuli manum oriza plenam succutens, idolo thytum in terram excussit, cum dicto: Non is ego sum, qui his sordibus vescar. quo pueri factò, responsoque, non sacrificulus minus, quàm parentes admirati, rem præclare factam suo rubore comprobarunt.

1610. Neque in solis Neophytis excolendis fructus fuit; nonnulli qui persecutionum vi elanguerant, vires animosque collegere, altiusque repetitas fidei nostræ conciones in animum admisisse: id maximè præstiterunt pagi cuiusdam incolæ: qui nunc tamen duas leucas ab æde sacra distent, Dominicis tamen, ac festis diebus, ad sacros cætus ferè concurrunt, quo nouo pietatis studio quanto sint, quàm prius in fide firmiores comprobant. hanc ipsi animorum permutationem, secundum Deum, vetulæ cuidam acceptam ferunt, quæ in eum locum demigrat: inter eos enim Cambo munere fungebatur (ita vocant eum qui ædi præest, & res sacras curat, sicubi sacerdos desit) paucos igitur illos, quæ ceteris lapsis superfuerat, Neophytos, ipsa diebus sacris in ædes suas cogebat, & nixos genibus

coram

coram Christi seruatoris effigie, quam Pater ijs reliquerat, ad orandum prouocabat, quæ sciebat de rebus Diuinis, sciebat autem quam plurimas ijs exponebat, vt in fide fierent fortiores: quibus auxilijs ad res Diuinas maiorem ardorem afferebant; & multi se ad Christi ouile referebant. Idem post obitum his Neophytis, qui etiam nunc sibi constant, videtur à Domino impetrare, quod viuens procutabat anus.

Ex ijs qui à turpi defectione ad Christi castra redierunt, vnus conciones Catecheticas ex integro, de more audiebat, quadam die Patrem ita compellans: Nunc sanè Diuina luce afflatus, horum, quæ dicis veritatem ita sum assecutus, vt si coram omnia quæ ad pænam inuenta sunt tormenta statuerentur, arbitrer non posse ab ijs animum meum expugnari. Breui domestico infortunio à Domino probatus ostendit, quam verè fuisset hæc prolocutus. filiulus eius ex ægitudine decumbebat: intellexitque à socru sua, conscia etiam vxore, quas à fidei firmitate nimius in puerum amor deturbarat, clam puero ritus aliquos Ethnicos adhibitos fuisse. Quod tam grauatè tulit constans Neophytus, vt tantū scelus, ac si ipse commisisset, sibi susceperit expiandum. Ergo quinquaginta & sex dierum ieiunium sibi imperat: idque tanta asperitate, vt ad orizam iusculo superfuso tinctam, nihil per eos dies edulij addiderit, Nihil interim prode-

rant

rant puero ritus per summum scelus adhibiti, quare ad saniora consilia pueri Parens conuersus, supra ieiunium, quod pro expiando scelere suscipiebatur, magnæ Matri votum nuncupat: quo vix bene concepto, repente puer sanitati redditur, magna cæterorum admiratione fideique confirmatione.

Neophytos Ethnicosque istos Insulares, sanctè peracta cuiusdam senis vita morsque; permouit: is annos duos & octoginta expleuerat, è quibus sex septemue extremos, in mapali quodam, ab omni hominum consuetudine remotus transigebat, ratus meliorem sibi multarum imaginum, quas adiunxerat, societatem, quam humanam esse: nemo igitur ei cohabitabat. nec vlla domus ad iactum sclopi visebatur; id ætatis se suo labore sustinebat: quin etiam sibi sæpe ad alios iuuandos aliquid detrahebat: eum non semel prouocauerunt loci illius incolæ Ethnici, vt ad idola, quorum sacrificulus olim fuerat, rediret: se ei ad vitam necessaria subministraturos: eam enim vitæ asperitatem, quam ipse sibi indixerat, per ætatem, perpetuam esse non posse. Verum ille profana consilia constantissimè reiecit; asserens habere se, ad quem recurreret, (Patrem nominans) si per ætatem ipse sibi prouidere non posset. Eo tempore quo supra dixi, nunquam prætermisit bonus senex, quin quolibet anno, quater aut quinquies pæ-

I

niten-

nitentia & Eucharistia sacramenta frequenter, & tamen quinque leucas aberat aedes sacra, iterque erat asperum, & non parum impeditum: ita cordatus erat ac simplex, tantoque in Deum Virginemque matrem animo, ut quoties ad aedem sacram visendam se accingeret, prius in genua prouolutus coram imaginibus haec dicere soleret: Domine I E S V Christe, Tuque Virgo Maria, ego Xiqui cogito ad expiandum peccatis animum sacroque epulo reficiendum, ire, at cum per aetatem ac vires, vix incedam: rogo vos ut in hoc itinere me iuuetis, ne in eo deficiam, titubem aut impingam, dum huc me recepero: & licet amplius inurbanus rogo, quia quid tamen per alium id mihi non licet: quare ut hanc mihi suppellectilem in reditum cultodiat. Videtur hic senis candor Deo ac Virgini cordi fuisse: nam in itinere difficillimo, in quo ipsi validiores non parum laborabant, bonus senex nunquam per tot annos impegit, aut lapsus est, nec est tenui suppellectili quicquam unquam defuit: tametsi ab omnium hominum custodia remotus habitaret. Cum ita viueret, non semel auctor illi fuit Pater, utri in Populi frequentiam sese referret, postquam illum repente mori & eius cadauer a feris laniari prius, quam in pago quicquam de eo resciretur: Verum ille Deo ac virgini fidens, a sua se solitudine abduci non sinebat, nec eum
 spes

spes sua sefellit : cum hoc ipso anno ad Nata-
 lis Dominici festiuitatem celebrandam in
 Christianorum sedem Xiqui aduenisset, Patri
 dixit; videri sibi velocem fore sui tabernaculi
 depositionem : idem in reditu vicinis Neo-
 phytis enunciauit, seseque in suum tugurium
 recepit : ea ipsa nocte sensit ægritudinem : id
 cum, nescio quò modo, Neophyti rescuif-
 sent, ad eum visendum accurrere, quibus ille
 denuo prædixit se breui moriturum, itaque
 rogare, ne eum hoc tempore desererent ; sed
 suis orationibus adiuuarent. Præsentibus
 ergo Neophytis omnibus, bonus senex eâ
 ipsâ nocte, quâ venerat, quietissimè & san-
 ctissimè in Domino obdormiuit : nunquam
 ad extremum vsque spiritum sacratissimo Ie-
 sv ac MARIAE nomina intermittens. eo-
 dem accurret Pater; sed iam in cælos, vt spe-
 rare par est, abierat. Ergo eius funus maxi-
 ma, qua potuit, pompa procurauit ; ad quam
 plurimi concurrerant: quos omnes Christia-
 nos vel Ethnicos, funebri apparatus, sed lon-
 ge magis sanctissimi senis memoria vitæque
 integerrime gesta permouit.

Apud Iaponios consuetudinum suarum
 in re militari maxime tenacissimos, valuit Neo-
 phyti moderatio, quâ subiungam. Christianus
 miles suspicabatur Toparcham suum iniustam

I 2 sibi

sibi mortem machinari, non quidem in causa fidei, sed eò quòd Colonos quosdam, miseratione permotus, ab iniuria, nescio qua, curialium suorum liberarat. Ergo se accurata peccatorum confessione comparat ad Christianè occumbendum: ac tametsi erat innocens, statuit nihilominus ei se minimè nociturum, qui ad se conficiendum mitteretur: sed potius audita mortis causa, quantumlibet iniqua esset, arma traditurum: Porro si palam, dissimulatè tamen ac inopinatò aggressores in se irruerent, se vitam defensurum, at hostes non offensurum: donec patefacta sua innocentia moreretur. Hoc posteriore modo in insontem Neophytum irruunt sicarii permulti. neque enim pauci ad eum confodiendum, qui animosus & pugnax habebatur, suffecturi videbantur: potuerat Neophytus ferire aliquos atque confodere, sed propositi memor, & cupidus mortis, non procul ab æde sacra oppetendæ, ictibus sicariorum occurrens: sensim ad eam se recepit, ingredi tamen noluit, ne ansam præberet eam innocuo cruore contaminandi: ibi substitit atque confossus est, priusquam de innocentia sua loquendi facultatem impetraret. stupuère omnes Neophyti consilium, quod, contra Iaponicum morem, non aliquot prius confodisset, quàm occumberet: constiterat enim omnibus è repugnandi modo, studio illum à vi abstinuisse, hoc solo nomine,

quod

quod esset Christianus. similis fuit marito v-
xor, tamen si eam partus dolores eo ipso momē-
to inuaserant, quo de mariti cæde inaudiuit,
quā perfectā iustitiæ, vel potius iniustitiæ mini-
stri ad bona defuncti proscribenda, in ædes ir-
ruerunt: rata mulier se quoque ipsam ad mor-
tem peti, ait: Non equidem me propria manu
conficiam (id enim Ethnicæ mulieres non ra-
rò faciunt) licet animus mihi non desit, sed ideo
solum quod id sciam Christianis (quas profite-
or) legibus prohiberi: porro si ad inferendam
mihi mortem venitis, rogatos vos velim vt
tantillum spatium ad comparisonem ex Chri-
stianorum instituto detis, confido enim, quan-
quam absit sacerdos, Deum dolore meo prouo-
catum peccata oblitteraturum. Verum illi affir-
marunt, se ad eius bona describenda, non ad in-
ferendam vim venisse. Tum illa de Marito sci-
scitatur, qualem se in moriendo gessisset; quem
cum audisset Christianè interiisse, sacris specia-
tim nominibus ad extremum vsque spiritum
inuocatis, acquieuit: nec vllam sibi lacrymulam
elabi passa est virago Christiana: quin potius
Deo gratias egit quod maritus, quam concepe-
rat, in moriendo tenuisset rationem, spe-
rans innocentia suæ illum pennis elatum in cæ-
los auolasse.

Sacri Agni cera vim suam aduersus Dæ-
mones, in Ethnica etiam fæmina exercuit.

Ea erat

Ea erat Nobilis Matrona, quam humani generis hostis inuaserat: ad eam liberandam vix fuit vlla superstitio ac ritus, qui non adhiberetur, sed frustra. Nunciatum sub idem tempus, à Neophyto quodam, sacri agni cerâ è collo energumenis appensâ, Dæmones fugari: rogatus est Neophytus obnixè, id vt faceret: fecit, eoque ipso momento mulierem importunus possessor dimisit. Idem quoque videtur vi lustralis aquæ perfectum. Christianam mulierem Dæmon inuaserat; quantum quidem apparebat, nam vt alia indicia omittam: sentiebat se vehementis velut ignis halitu afflatam ardere: ex qua puer Christianus quærit, ecquid velit: vinum illa postulauit. intellexit puer ignem igni additum iri: sed ne tamen energumena auxilium petiit negaret, vinum aqua lustrali clam dilutum obtulit. eo epoto, sensit ignem illum temperari, se planè à vexatore liberatâ, quo in vtroque prodigio Neophytorum fides cum sacris rebus, Deo annuente, concurrebat.

Insignem tolerantiam ac firmitatem in fidei causa mulier, tametsi domesticè duntaxat oppugnata, præ se tulit; habebat illa filiam coniugio Nobilis, & copiosi militis illigatam; gener erat Ethnicus, sed filia longe magis: ea vt Christi sacra susciperet, cum genero ac filia sua consilia communicauit, ijque responderunt;

derunt, in rebus, quæ ad salutem pertinerent
 cuique suam esse libertatem. Vbi tamen Chri-
 stianè capit vitam instituire & idola detestari
 eam rem gener, ac filia potissimum, ferebant
 impotenter: ergo statuerunt eam sic tractare
 vt à Christo auerterent: laborarunt; frustra ta-
 men. Ergo filia præ reliquis crudelior matrem
 sibi vexandam torquendamque suscepit. Dici
 non potest, quantum religionis tuendæ causa
 pertulerit, ipsi nepotuli matris exemplum se-
 quentes, auiam malè mulctabant, sed nihil po-
 terat eius aut fidem aut patiendi voluntatem
 labefactare. Ergo impia filia vt parenti suæ æ-
 grè faceret, clare ei precatórios globulos, sa-
 cramque effigiem ex ijs appensam subduxit.
 Quæ cum ea suas opes appellaret, sensit eor-
 um iacturam intimè. Itaque quo tempore
 domum euerrebat, drachmam suam requi-
 rens, tota erat in luctu ac planctu. Me mise-
 ram, aiebat, qui viuere possum absque rosa-
 rio meo ac medalia, quid prætexam apud Pa-
 trem tam malè à me thesaurum illum, quem
 mihi dederat, asseruatum? Luctu isthac exer-
 cita quidem, sed non euerfa, denique Pa-
 trem adit, infortunium nunciat, eiusque
 sensum lacrymis abundè testatur. Noster
 mulierem solatus omni culpa eximit, ac si-
 mul omnia illi noua restituit; quæ cum
 acciperet, doloris illi lacrymæ in gaudij
 fietus

fletus, nihil mutato fonte, proruperunt. ut tamen se ab hac impostero, cæterisque molestijs liberaret, nec in perpetuo salutis suæ discrimine versaretur, statuit sibi ex ædibus filix emigrandum, cum paupertatis subeundæ molestia, in qua nunc extremè conflictatur, sed mirum quàm alacriter, dum se sacram ædem adeundi, missas audiendi, peccata expiandi, sacras conciones excipiendi, quæ nunc fruitur libertate, solatur.

Adolescens annorum ferè octo supra decem, fuit in retinenda fide insigniter admirabilis: eius nobile certamen sigillatim describam, nihil veritus in egregio facinore minutias omnes persequi, quæ ad rem videbuntur. Paulus is honorarius erat puer Toparchæ cuiusdam, cui nomen Mondodone, eum herus, quod ingenio præditum aduerteret, in ludum ædis nostræ amandarat, ut in eo Iaponico more legere disceret ac scribere. Eo in ludo ex domesticorum nostrorum consortio, atque ex ijs quæ de sacra lege nostra videbat ac audiebat, ita affici capiti, ut eam susceperit inconsulto hero ac Parente, qui in eiusdem erat famulatu: ea suscepta, ut erat acer ingenio & probæ indolis, in religionis veritatem altè penetravit, virtutemque ita coluit, ut reliquis esset incitamento, orationi mirè addictus, modestus, in expiandis peccatis frequens & accuratus; Erat hæc nimirum eorum
quæ

quæ subsequuntur prælusio. siquidem iam herodes suboluisse, Verum ne à discendo auerteretur, dissimulabat, ratus eum quod ex antiquis esset familiæ suæ affectis parente & auo, prognatus, facile reuocandum. Id non rarò insinuabat, addebatque eum per ætatem legis Christianæ capita non altius quam in aures pueriliter admissurum; eaque se quoties vellet vno verbulo erepturum, itaque rem eam negligebat, deque ea palam subinde iocabatur. Ex his omnibus colligebat Paulus, quid sibi fidei susceptæ causa immineret. iam igitur tempus aduenerat, quo per ætatē ludo eum eductū, maioribus negotijs applicaret, quod cum fecit herus, nouo eum nomine Fiosuge appellauit, & quia Christi descredidi aptius in molli ætate tempus videbatur, causas quæsiuit exigendo nouum ab honorarijs omnibus pueris iuramentum: huius certaminis narrationem ipsis sacerdotis nostri verbis subiiciam, qui rem totam scriptis litteris Rectori suo Arimensi significauit; scribit igitur in hunc modum:

Quærebatur de honorarijs pueris Mondo-
dona, obsequi eos sibi minus officiosè, quàm oportere, qua ex causa omnes monuit, se intra paucos dies iusiurandum ab ijs recens exacturū; simul ad Ecclesiæ Præfectum, soter Gambo dicebatur, mittit, uti ad se crucem cum eius iuramenti formula, quàm Patres Neophytis præ-

I s scripse

scripserunt mittat; habebat enim ille inter eos pueros, Neophytos duos ac Neophytorum filios, de quibus nihil admodum laborabat; nec in eos sed in solum Paulum hæc faba cudebatur: conuocat igitur ephesos, à Christianis separatim suum, ab Ethnicis quoque suum iusiurandum exacturus: à Neophytis incipit, qui quod Christianè iurauerant, Iaponico more, suo sanguine obsignarunt. Hic Paulus, quoniam à me (inquit) Here iusiurandum exigis, ex Christiana id formula facias id velim: Christi enim ego quoque sacra suscepi. Iratus Mondodono respondit, ego sum herus tuus; tu famulus meus es, imperata facturus, simul ei mandat, vt Ethnicum sacramentum suo sanguine obsignaret: id autem fit in hunc modum: Inuocato Cumasonogunguen (idoli nomen inter Iapones Principis) in schedula, qua illius monstri effigiem & appictos habet nonnullos eiusdem characteres, iusiurandū de more sanguine consignatur; respondit igitur Paulus, se ab ea re Diuina lege prohiberi. Excanduit Mondodono, & quasi in eum vellet irruere animi impotentiam præ se tulit: sed quoniam aderant reliqui, verbis duntaxat rixabatur, vrgebatque vt faceret, quod iubebatur. Ad hæc Paulus ait, se pro veteri more in omnibus, eius iussa exsequuturum, & quod eius in se beneficia sic potstularent, sanguinem etiam in eius causa fusurū, sed

sed ad iusiurandum quod attineret, & ad reliqua
 in quib⁹ sua ipsius salus æterna versaretur, parere
 illi nulla ratione posse. His herus magis ac ma-
 gis accenditur, quod à puero sibi videret illud.
 Ergo ex summa iracundia in hæc verba proru-
 pit, faciam nunc vt videas, vter nostrum in hoc
 sit certamine victoriam relaturus; tum reliquis
 dimissis, sine arbitris multis quæ eius foret sen-
 tentia exquirat stomachabundus. Cum porro
 Paulus in eandem sententiam fere responderet,
 ait herus: aut Christo, & Christianæ legi renun-
 cia: aut ego te exquisitis pænis excrucia-
 bo. At-
 qui ait Paulus, hoc ipsum est, quod votis omni-
 bus cupio: nam quoniam video mihi nunc in
 Christi causa moriendum: etiam atque etiam
 te rogo, vt non nisi lenta morte me conficias: a-
 liaque multa adiunxit, quæ Spiritus S. illi sug-
 gerebat. Ad extremum eo rixa deuenit, vt Mon-
 dodono ferrum stringeret, quo adolescentem
 terreret, sed ille mox in genua prouolutus ora-
 tioni operam dabat, armis arma opponens: ac
 ne putaret Paulus hæc vana esse terriculamenta
 capillitio correptum, totâ aulâ raptabat, pugnis
 eum calcibusque contundens: demum ferro
 ceruicibus imminente denuo vrget, vt Christi fi-
 dem eiuret, si secus, se amputaturum. Sed idem
 semper erat Paulus. Ergo furore amens
 auersa ensis acie, quasi ceruicem ampu-
 tans, aliquoties eum pultat, irritò conatu.

alia

alia multa inter eum herumque transacta sunt, eodem semper euentu. Denique cum in iurgio vocem saepe tolleret Mondodono, aliquot primarij eius affeclæ concurrere. Inter eos accurrit illius nepos, & alius quem in filium adoptauerat. Hi Mondodono monent, indignum videri Dynastam cum puero rixari, sibi eum tradat, se sanioribus consilijs effecturū, vt Paulus faciat imperata. His vtcunque placatus Paulum missum facit, asserens se, nisi sermones hominum vereretur, ne immanis haberetur, iam eum in frustra discerpturum fuisse. Et furenti hero visum est eam rem minimè negligendam: vinctū ergo eum iubet, ense ac pugione exarmari. Et ephebi insignibus ac vestibus exauctorari, dein certis in ædibus conclusum à duobus tribusque custodiri. omni colloquio, præterquam quos ipse admitteret herus interdicto. Ad eum modum clausus est Paulus biduo quatrduoue, quos dies orando contemplandoque transigit: ac si fortè aliquis è Neophytis ad ianuam adueniret, illius se enixè precibus commendabat. Incidit res subinde mirabilis nec minus oportuna, clarissimum diuinæ Providentiæ argumentū. Mondodono famulus quidam, qui eius ad aucupium accipitres curat, eidem carus in paucis, & cui eius in ædes liberrimus erat aditus. Christi licet sacra suscepisset, frigidè tamen nimis ea exsquebatur: Hic Pauli constantia permotus se collegit,

collegit, statuitque post hac in salutis negotio
impigrè procedere. Paulum exin conueniens, ei
operam suam detulit ad ferendas referendasque
ad Soterem, rei sacræ Præfectum, litteras, quo
Paulus noster, qui nihil magis optabat, mirum
in modum est recreatus. Cum igitur se videret
vinctum arctèque custoditū, planè sibi persua-
sit, se post varios cruciatus, demum extremo
supplicio ab hero afficiendum. Optauit igitur
ad animum quidem suum magis magisque con-
firmandum adferri sibi volumen Iaponico qui-
dem sermone; sed Europæis characteribus ex-
aratum, quos ille iam in ludo nostro didicerat:
Hoc volumine Diuorum vitæ martyriaque illu-
striora describuntur, Soter eum ab Ecclesia Con-
sura delatum, Paulo mittit, qui quoties libere
poterat, acceptum dies noctesque euoluebat, ex
qua lectione simile vero est, eum quæ postea fe-
cit ac dixit, hausisse martyrum exemplo, quorū
in tormentis responsa legendo iam imbiberat.
Post quatrimum alta iam nocte Paulum herus
in cubiculum suum adduci iubet: ac denuo in-
stat, vt Christi fidem abijciat: sed cum ille vt
prius repugnaret, iubet ei tiliarum ossa duobus
scloporum ferreis fistulis arctissimè stringi, tor-
menti genus apud Iapones horribile: quo in tor-
mento, cum herus promeret, inuictus Adole-
scens ita respondit, si breuiter & clarè nunc ani-
mi mei sententiam scire voles, vnicum est ma-
ximum-

ximum-

ximumque votum meum, vt de meo corpore ad libitum statuas here, donec abunde tibi feceris satis: & tamen si cruciatus acerrime sentiam, siquidem homo sum, & mortalis: eos tamen ad animum vsque minime penetrare credas, quin potius ex ardenti pro Christo patiendi desiderio, nihili facio exquisitissima tormenta. Itaque rogo te, vt si me obtruncandi libido est, id hebeti & ferrugineo ense facias, ne vno ictu dissiliens caput, mihi plura pro Christo patiendi eripiat facultatem. Immo se aiebat optare magis, vt sibi vnguibus ad vnum vsque stirpitis auulsis, tum demum singulos per ordinem digitos amputaret, inde nudum per has omnes Insulas, vt esset spectaculo, circumduceret, tandem vt liberet assaret vel frigeret: corpus ad illius nucum in tormentis obsecuturum, animum Deo adhæsulum, à quo se speraret conseruandum, ne in id crimen, ad quod sollicitabatur, vnquam laberetur. Hæc velut per otium in tormentis Paulus, ad quæ Tyrannum, licet ferocem, actutum collacrymatum ferunt: cum ex his quæ audierat, eum vitæ huius prodigium videret, ne æterna, quam se breui consecuturum sperabat, excideret. Atque in hunc modum alter huius nocturnæ tragædiæ actus finem habuit. Post biduum rogatus à nepote tyrannus; vt Paulum in gratiam reciperet, respondit sibi iam non esse integrum ab eo interficiendo abstinere: eoque

opue furore succensus exui cum vestibus iu-
 bet, & sublimè sub axillis, certo quodam vinci-
 endi modo, apud Iaponios recepto, suspen-
 sum erigi: hac ratione pendentem aliquo tem-
 pore, demitti, vt acerbius vinciretur, imperat:
 nam coniunctis cum vtroque genu brachijs, in
 globum vinctus denuo adducitur; quo in tor-
 mento cum precatoriam coronam minimè di-
 misisset verus Christi athleta, eam magno spiri-
 tu decurrebat Deum obtestatus, ne in pænis de-
 ficeret: sed vires daret ad plura maioraque tor-
 menta toleranda. His ita transactis, cum opina-
 remur omnes, Deum hoc Ecclesiam martyre co-
 honestaturum; subito Tyrannus elanguit. Dice-
 bat enim non satis se scire quid ageret: occidam?
 mortis at ille causam nullam dedit, dimittam?
 sed mox in ædem excurret, & in sociorum fra-
 trum numerum adscribetur magno meo dede-
 core: eum vero in famulatu meo, non eiurata fi-
 de relinquere, non minus ignominiosum reor:
 non alias memini, quicquam me vnquam incõ-
 sultius aggressum: sed iam iacta est alea, mollio-
 ri facto superuènere hospites, quam occasi-
 onem nepos arripiens institit, vt Paulum vinculis
 exolueret. Verum cū nõ impetraret, ut maximè
 volebat: efficit tamè vt eū apud se mensẽ vnū
 deponeret, dum hospites abirēt, Paulo se aucto-
 rem fore vt imperata faceret: si renuat eum
 exacto mense ad vincula pænamq; restitutum:
 his le-

his legibus soluitur Paulus multum veritus ne
 quid à se remissius factum aut dictum cum Ne-
 ophytorum offensione spargeretur: rogaturus
 herum erat: vt extremam manum imponeret,
 & mortem post tot supplicia ne negaret. Verum
 cum omnes ei suaderent, vt heri nepoti acqui-
 esceret: acquieuit, de futuro, Tento, (ita Iapones
 primam causam vocant) prouisurum, Atque ita
 liber Paulus Mondodono nepoti traditur. Con-
 fidimus etiamnum Dominum eius vota exple-
 turum: si quidem id è gloria eius fuerit. saltem
 quod huc vsque contigit, rarum est firmitatis
 exemplum, & ad hæc fortasse tempora in Iapo-
 nia inauditum. Mox vt hæc audij in Saitzu (no-
 men loci est, in quo quæ dicta contigerunt) co-
 gitabam. sed Neophytis omnibus ac Soteri ma-
 ximè visum est intempestiuum, Iacobum tamè
 scholarem misi nostrum, quam in rem ille se li-
 beratissimè obtulit, vt propius accederet, me-
 que de omni re faceret certiozem; denique dif-
 fertur tanta res, sed forte quod differtur non
 aufertur. Non possum satis explicare quanto
 gaudio hæc Neophyti exceperint, ex Xiqui qui-
 dem vix se tenuerunt, quin omnes eo conuola-
 rent, & vijs omnibus martyrem visiterent: eū-
 que si moreretur, raperent, & huc sanctum ca-
 dauer adueherent. Verum eos id retinuit, quod
 nondum satis constaret, quem finem ea res esset
 habitura: ego semper sane suspicatus sum fore,

vt Pau-

ut Paulum herus, minimè maectaret.

Senex quidam plurimum mesanè affecit: nam annos natus septuaginta, vbi audiuit me ad visendum Martyrem itineri accingi, omnino voluit me comitari, nec ab ea sententia deduci potuit, quin id ætatis pedes equitantem sequeretur Futape vsque. & quoties de Pauli cruciatu sermo inciderat, tenerrime collacrymabatur. Hactenus Pater scripsit. hucusque Pauli constantia peruenit magna Echnicorum admiratione: qui legem ex ea re nostram non suspicere non poterant, mirarique quantum Christiani salutis suæ curam habeant, ut eius causa tam acerbos ferrent cruciatus, quodque in pietatis ac fidei negotio ardentius propè vitam ponerent, quàm reliqui conseruarent: quarum rerum Paulus ille viuum speculum extiterat: nobis quoque magno solatio fuit, cum videremus puerilem educationem tantum in eo potuisse in tam tenera ætate, tantaque temporis breuitate. Hactenus apud Nepotem depositus viuit eadè semper animi firmitate, atque etiam credo maiori, ex quo Pater eum inuisit: quod mox fecit cum licuit, eumque peccatis expiauit, & consilijs salutaribus instruxit. Ipse quoque herus iam alius dicitur: nam de pristina acerbitate multum remittens, subinde ad se Paulum euocat, eiusque opera vititur, cui cum sit ob naturæ dona charus: Deo multo est magis, in cuius causa tot tantaque tolerauit.

K Eos

1611. Eos inter qui Christi gregem au-
xerunt, vir fuit grauis, qui pagos aliquot cum
imperio moderabatur; & aliquot iam menses
ægritudine correptus decumbebat: eoque iam
deuenerat, vt sibi moriendum esse videretur.
Ergo die quadam filium in hunc fere modum
alloquitur. Longo iam vsu & Iaponensium
sectarum pericia id sum assecutus, in earum
nulla salutem reperiri, de Christiana porro le-
ge, quantum subinde & casu inaudij ita sen-
tio, in ea sola salutem homini præparatam:
filius subiicit, videret etiam atque etiam Pa-
rens quid ageret, & quod certamen iniret: se
quidem sacerdotem mox accessurum, si hoc
plane sederet animo: iam dudum, refert ille, o-
mnia hæc ad calculos reduxi, & satis intelligo,
quousque mecum Dynastæ sæuientis ira possit
decertare: & ita statuo nihil eorum saluti me
præpositurum: ergo accersitus Pater; instructus
æger, ac deinde cum filio, Matre, coniuge ac v-
niuersa familia baptizatus. Ethnici qui id inau-
dierant, euentum rei præstolabantur, asserentes
nunc demum nullam illi spem recuperandæ
salutis superesse, qui patrios deos sæda defectio-
ne, ad iracundiam prouocasset: sed planè con-
trà euenit, nam breui morbum depulit; quin et-
tiam cum ad maiorem Ethnicorum infamiam
in ægritudinem longè grauius recidisset, iterato
euasit, dum interim illi insultarent; tandem ali-
quando

quando Deorum vindictam aduenisse dictitan-
tes. Verum Neophytus nihil in sua fide tituba-
uit, sed conceptis pijs sacrificiorum & precum
votis, integerrimam salutem est consecutus.
Qui morbi grauitatem nouerant, è quo per raro
in Iaponia ad vitam ac salutem reditur, obstupue-
re & pudore suffusi mirabantur, cum hominem
Iaponensium legum, egregie peritum ab ijs de-
fecisse: nec eam defectionem inter tot vitæ pe-
ricula luisse: qua ex re Neophyti reliqui non pa-
rum in sua fide confirmati, de eius victoria ex
Ethnicis reportata exultabant.

○ Puerulus septennis agebat iam ferè animam,
mater & auia cum alijs nonnullis, plus naturæ
quàm gratiæ tribuentes, prophanos ritus, nescio
quos, pro pueruli salute peregerunt, quin etiam
cum neq; isti profuissent, agebant de eius fune-
re Ethnico ritu curando: sed puerul^o seipsū col-
ligens, tamen cum morte iam luctabatur, ait
ego quidem in Christi fide morior, funusq; me-
um volo ritu vt Christiano procuret ædis sacræ
custos, eumq; nominabat: vos vero mater & a-
uia, videte etiam atque etiam quid egeritis: & si
me auditis, pænitentia arripita, & ad Patrem
veniæ causa aditis. Hæc res à puerulo id temporis
profecta, tantam in omnibus maleficij cōplici-
bus admirationem peperit, vt mox eos pænitentia
ducti, ad crimen expiandum, abiectis in posterū
ritibus idolorum profanis, properarint puerulo
magno

magno Parentum, & eorum qui aderant solatio, in cælum non ita multò post euolante.

Neophyta quædam in fide infirmior, nescio cuius negotij, quod ei præter spem ceciderat euertu perturbata, protestata est se in posterum Christi legem eiurantem, mox ad idoli quod Yuoxo sectarij colunt, fanum venerabundam properare: filiolum habebat decennem, quam etiam mater ad defectionem hortabatur, conata secum in fanum abducere; Verùm illa lacrymis obortis, in hunc modum matri respondit. Hactenus ego Christianorum ædem frequentavi, Deum ac Deiparam colui; itane vero Dæmonum fanum, in quibus nulla auxiliij spes est, ingrediari omnino non faciam, neque permittam ut ipsa facias: si me non audieris animamque tuam omnino perdere statueris, me tamen, sic habeto, nunquam à Christi fide recessuram. Hæc filia verba & lacrymæ, ita materna viscera tetigerunt, ut subito in aliam, se ipsa mutarit: iam penitens, & crimen confessione expiare promittens, mox in ædem se factam cum filia confert, Patri rem narrat, & inter narrandum tot lacrymas profundit, ut vix à Patre solatium acciperet, postea de crimine confessæ propositum iniit, fidei etiam inter aduersa retinendæ. Collaudatam verò puellulam sacris munusculis Pater donauit, & vtramque ita dimisit, ut ex lapsu vires acceperint; & pietatis ardore incaluerint.

nam

nam in posterum frequentiores in eodem sacram
itabant, tamen si leuca tota distarent.

Neophytus quidam religiosus in primis,
vitam venatione sustentans die quodam vna cū
Ethnico venatore quoque, ad venandum egres-
sus, ab eo in itinere sollicitatur, ut à nemorum
numine impleret secum felicem venationis e-
uentum. Excepit Neophytus risu futile consili-
um; aitque se aliud habere numen, cui omnia
sua commendet: ipsum scilicet nemorum &
ferarum conditorem. Tunc inter vtrumque or-
ta disceptatione, conuentum est, ut ex venatio-
nis euentu de vtriusque Numinis potentia iudi-
cium esset. Ergo alter ab altero digreditur; Neo-
phytus in genua nixus Dominum rogabat, ut
ad legem suam cohonestandam Ethnicumque
conuincendum venationem suam secundaret:
vix orationem finierat, cum ecce tibi è nemore
ceruus ingens egreditur, qui viso venatore non
nihil in nemus refugit, eoque loco substitit im-
motus, vnde venatoris sclopus vix poterat ab-
errare. ergo eo exploso primo ictu præda cor-
ruit, magna cum Ethnici admiratione, qui to-
tum eum diem per nemus vagatus, prædam ne
oculis quidem cepit.

Neophyti complures febrem tertianam a-
quæ lustralis potu expulerunt: quod est apud
eos vulgare huius morbi pharmacum. Alij ean-
dem corporis valetudinem integram, peruigi-

les in oratione per vnam in æde noctem impetrarunt. Quodam in pago deerat Neophytis nõ ædes solùm sacra, sed etiam oratorium in quo conuenirent: eius enim loci moderator Ethnicis ritibus mirè addictus, & Christi sacris infensus nihil permittebat, sed Dominus ijs admirabili euentu de sacra æde prouidit. Loci moderatoris parens etiam filium in idolorum cultu superabat. Ergo celebrem peregrinationem instituit ad nominatissimum tota Iaponia sanum idoli, cui nomen Tenxadaexri, in regno Yxu, quod aberat ab hoc loco ducentis non minus leucis Lusitanis, arbitratus hac se peregrinatione sacrum fore, omniaque sibi quæcunque aggredetur, in posterum ex animi sententia cessura. Sed omnia ei contra contingere. nam ab hac peregrinatione reuersus subito Dynastæ gratia excidit, & intra breue tempus subita morte bis interijt, quod cum filius, huius loci moderator aduertisset, in alium, repente mutatus, idolorum cultu si non demisso saltem remisso, Christianis fauere cepit, eisque facultatem fecit, ædis construendæ; quam in rem ipse ligna in singulos quæ adueherent, est partitus: ipseque operas quamdiu eo in opere laborabant, magna ex parte aluit, & quod maius est, de Christi fide suscipienda, deque idolis, quæ nihil Patri profuerunt, deserendis deliberat.

De

*De Nostrorum Domicilijs in
Regno Chicugem.*

CAPVT XI.

IN hoc regno duæ sunt nostrorum sedes altera in vrbe Facata, regni metropoli, altera in oppido Aquizuqui. in priore sacerdotes è nostris duo cum socio, in altera vnus cum adiutore suo rem curat Christianam, præter quos vtrouque sunt Alumni, alijq; de more huius Ecclesiæ, administri. De Neophytis vniuersim nihil habeo. quod instituti memor addam consuetis. Ethnici in superiore toto triennio quingenti quinquaginta, in altera posteriore sexcenti adulti omnes, in Christo renasci voluerunt: sed nunc ad singularum sedium res peculiari memoria dignas sermonem conuertamus.

Huius Regni Dynasta, tametsi rem in suis regnis permittit Christianam, eam tamen vult ex imperatoris edicto intra vulgus contineri, nec eam permittit, quantum potest, in militarem ordinem, in quo est omnis Iaponum Nobilitas, penetrare. Ergo egit, vt Christi Religionem Nobilibus aliquot viris eriperet, varijs eos artibus ad defectum à Christo sollicitans: verùm tanta fuit in impetu sustinendo Nobilium Neophytorum animositas, vt bene longam orationem postularet, si eiusdem argumenti complurima exempla diducere placeret potius, quàm in vno alteroq; duntaxat prælibare.

K 4 E mi

E militum ordine nobilem in paucis atque copiosum Dynasta, & iam aliàs sæpe victorem, his quoque temporibus per cuniculos aggressus est euertere. nam cum ipse repulsam veritus, illius notam ferre nollet, alio instigatore vti videtur voluisse, è pueris honorarijs vnus Neophytum capta occasione sic compellauit. Si te Dynasta noster inter solemnes epulas oblato sua manu ferculo ita aggrederetur: age mei causa fidem eiura Christianam, & mecum in Patria religione conspira, & huius rei præmium, accipe oblatum tibi propria Domini tui manu ferculum, quid ad hæc esses responsurus? Sane, inquit vrbanius sed constans Neophytus, honorem reijcere, videretur inurbanum, itaque in mediam aulam irrumperem, ac me palam pubertenus nudarem, & amputandas ceruices pronocii præberem, aut corpus illi meum ad quæuis supplicia permitterem, nec aliud illi responsum exhiberem; Ita plane constans Neophytus dū victoriæ spem pugnaturis eripuit, ipsius etiam se pugna molestia liberauit.

Non in Dynastas solum sese Neophyti fortes præbuere, sed in Deos manes impetum fecere, tam impune quàm etiã feliciter; Ethnicis è spectaculo stuporem ac vanos inanum numinum metus collecturis. Triginta & amplius leucas ab hac Metropoli distat Insula quædam deserta, in ea sanum est, cuius indigetem Deum

Deum Cami vocant, loci tutelarem, eo vsque tenacem rerum suarum, vt nemo credatur impune quicquam tota Insula exportare. Id fanū habet vnum sacrificulum, ad cultum inhospitali Deo procurandum. hic vt gratiam ab Dynasta aucuparetur, nihil dubitauit Numinis sui thesauros prodere, & Dynastam ad eos rapiendos incitare. Et quoniam cupiditati nihil est sacrum, nihil difficile aut periculosum: Ethnicus alioqui Dynasta, nihil dubitauit avaritiam Insularis monstri ad sua lucra conuertere; quæque tot annis intacta fuerant sibi vindicare. Verum audacis in Deos facti non erat procliue ministros reperire. Ethnicis enim reuerentiam Numinis, periculi metus concitabat. Ergo aptissimi visi sunt Deorum contemptores in hanc rem administri, quibus si res bene cederet, Dynasta ad se quæstum aduerterat; Sin vera essent, quæ de idolo ferebantur, sacrilegij pænam in Christianos auerterat. In eius erat obsequio Hieronymus, qui aquid hunc Dynastam alio regno pulsus in fidei causa exulabat, & magnas opes tenui censu permutarat. Eum Dynasta huic operi admouet, non illibentem & lætum, quod odij sui in simulacra explendi, factam sibi ab Ethnico Principe videret facultatem; intelligebat etiam hoc facinore non parum rei Christianæ auctoritatis accessurum, cum illius vim aduersus fallacem numinum imbecillitatem euulgasset.

K 5 gasset.

gasset. Soluit igitur in Insulam asperrimo caelo, & alienissima eius capessendi tempestate, ad quam è longinquo explorandam sereni aëris nitida facies exigebatur. Ex itinere occurrit alia Insula, ibi dies aliquot commoratus. cum socijs æquè Neophytis omnibus Hieronymus, dum dissipatæ nubes solem aperirent. Hæc mora dedit occasionem anxietatis Ethnicorum superstitioni varia spargendi, dum fingerent singuli, quæ euenire posse viderentur. Verum Insulam tenuit, peragrauit: sanum ingressus, quæ voluit effodit, rapuit, extulit, indigete Deo fortasse dormiente. æris maximè vim magnam attulit, & alia quæque optimè placuissent, aut in Nauigium euehi potuissent. Exceptus est à Dynasta perhumanè, & idem luculentè collaudatus. Quo factò inhospitalis Dei graues iræ pro somnijs habitæ imposterum, & bene ratiocinantibus hoc vno factò, dictum videri potest: ex vno disce deos omnes nec enim in ceteris Dijs plus virium, aut in reliquis sacrificulorū comentis plus reperitur veritatis.

1610. Non solum Diuina vis Neophytos ab inanibus idolorum minis liberauit, sed eadem benignitas domesticos etiã nostros infortunijs ad prodigij speciem eripuit. In vico qui ædi nostræ ac ædibus proximus est, excitatur incendium, illud ventus infeliciter secūsus in ædes nostras recto cursu, deferebat, & iam ita vicinum erat,

erat, ut ædium nostrarum, pars iam arde-
re videretur. In domesticorum paucitate nullū
erat præsidium, nullumq; aliud in humana ope
reliquum videbatur, sed clemēs Dominus hanc
nostrorum ex optimis sedem vnam, conserua-
uit, nam subito ingens Neophytorum atq; Eth-
nicorum turba ad opem ferendam accurrit. In
ijs erant viri nobiles, qui cum vniuerso suorum
comitatu concurrerant: sed neq; in ijs satis fuis-
set præsidij, Nisi Dominus ipse auxiliatricē dex-
teram porrexisset; nam qui educit ventos de
thesauris suis, cum iam iamque domus nostra
& Templum arsurā viderentur, ventum auertit
in partem contrariam, à quo repulsi flammarū
vortices in fauillas, quas fecerant rediēre. Nec
quicquam è rebus nostris vel minimum atti-
gēre. Quam ob rem nostri cum Neophytis in-
gentes liberatori Domino gratias retulēre.

Pulchrum est Neophyti de filioli sui salu-
te solliciti facinus. Iuuenis Nobilis atque copi-
osus in Christi fidem transierat, sed ita, aucto-
re quodam alio, viro Nobili, amico suo atqui
Ethnico, se gerebat, velut ab ea recessisset, in
panam ac salutem immissa videtur illi fu-
isse filioli ægritudo, qui etiam primoge-
nitus erat; ad extrema iam infantulus de-
uenerat: Tum parens, qui reuera fidem
ex animo nondum planē deposuerat omnem,
cinctus

cinctus propinquis ijsque Ethnicis omnibus, nobilem suæ fidei professionem fecit, nam in mediam se mulierum complorantium turbam immittens, filiolum è matris vlnis eripit, quæ quidem supra omnes in profanos ritus erat propensa; tum accepta aqua eum coram omnibus, conceptis sacris verbis, quæ quondam ex Patre ad similes euentus didicerat, baptizauit. Intellexit mater & reliqui quid ageret, & eiulatus duplicat, quod iam puerum sciret esse Christianum, & Deorum recentes ex inopinato facinore iras vereretur. Sed Muliebrem luctum saluti filij posthabuit, quem sine dubio cælis, vt ita dicam, intrusit. Eius cadauer clam ad Patrem misit, vt illud Christiano loco ac more terræ mandaret; quod & fecit: ipse quoque hoc præclaro facinore in alia omnia mutatus, Patrem adijt, cum Ecclesia redijt in gratiam, spondens deinde meliora.

1611. Ita parens filij salutem, quam per ætatem ipse non poterat, procurauit. Quæ sequitur supra ætatem se euexit puellula quædam sexennis, Ethnica illa Ethnicorumque parentum filia, iam è diurno morbo periclitata, & quoniam eius parentes diuersas sectas profitebantur, vt scirent ad quam sectam illius funus pertineret; ea quærunt, paternam an maternam sectam sequeretur? Respondit puellula, neutram. Quid igitur

igitur? Christiana fieri vis? ita subiecere parentes Ethnici nescio qua ex causa, nam ipsi præter Christianum nomen aliud nouerant: plane nihil. Sed quoniam Deus hanc sibi animulam elegerat, eam consequendæ salutis ei etiam inscie expedijt occasio: nam, afflata sine dubio numine, respondit: planè se velle fieri Christianam. Id toties ab utroque parente sciscitante repetitum, vt demum Neophytum quendam reddiderint certiozem, qui lætus offerri sibi hanc Diuinæ gloria propagandæ occasioem, in eadem nostram aduolauit, & secum magna festinatione adduxit, qui morientem pro captu instrueret atque elueret; quo factò intra paucas horas puellula in cælum euolauit. Ea res ita utrumque parentem permouit, vt difficile fuerit eos continere, quin vnâ cum filia baptizarentur, sed admoniti longiorem ab adultis & valentibus institutionem exigì, postea cum vniuersa domo, omnino septem in Christo renati, in eandem tandem legem conspirarunt. In quodam Ethnicorum pago Dæmon Ethnicam puellam grauitè tyrannica possessione torquebat. Misella cum nusquam leuamen inueniret, nescio à quo inducta, vt in domum Neophyti cuiusdam pergeret, qui propinquus erat heri puellæ etiam Ethnici, fortasse ibi lenimen inuenturam, eo se contulit. Res mira! quamdiu puella in Neophyti domo commorabatur, ab importuno

tuno

runo hoste planè libera respirabat: si quando ad Ethnicum herum redibat, ex integro se velat Dæmoni torquendam dabat. Qua re mire stupebant Ethnici, & legis Diuinæ vim prædicabant.

Felicius eadem res cecidit Neophytæ puellæ, nam à Dæmonio ita vexabatur, vt tamen herus arbitraretur ægritudine correptam, qua ex causa varia ei pharmaca, nullo operæ fructu adhibuerat. fortè eò venerat Neophyta mulier religiosa & pia, ea intellexit Dæmonem esse non morbum, ergo sacri agni ceram sibi ereptam, è puellæ collo suspendere parat. Non tulit Dæmon vim sacri sigilli, nec mulieris fidem. Ergo exclamat, facesceret mulier cum hoc amuleto, se mox egressurum. Imo vero ait mulier, vt mox egrediaris, hac ego te ratione vrgeo, ergo magna fide sacrum pignus eius collo circumduxit, & eam simul lustrali aqua consperfit. Nec plura: suauiter obdormiuit, ac deinde cum euigilasset, sana & incolumis sensit se dæmonem excussisse.

Eiusdem aquæ lustralis vsus, varijs morbis attulit sanitatem. sed nec hoc vnus est cælestium prodigiorum modus. In quadam huius regni ditione Neophyti Ethnicis permixti degunt: Exijs, si quis æger est, solemne est rogare vnum alium quem ex Neophytis, qui religiosior habetur, vti sacram Deiparæ coronam nixis coram cruce genibus decurrat: quo facto ægri ferè sanitatem consequuntur, ad stuporem eorum, qui hæc audiunt Ethnicorum,

Maiori

Maiori etiam admiratione omnes perculit heroicum viduæ Neophytæ factum. Ea est Nobilis Matrona viri primarij quondam vxor, qui præmatura morte ereptus viduam eam in ætatis flore reliquerat. Post eius mortem variæ tentata fuit eius pudicitia à quodam, qui quæ promittebat, aut quæ minabatur, re ipsa præstare nullo negotio poterat. Verùm illa Christianæ pudicitia laudem omnibus prætulit, & exilium omniumq; fortunarum suarum & filiorum iacturam ei posthabuit. Tametsi ad duo aureorum millia summa redditus annui peruenirent. Miacum ergo se conferens, iuxta ædem nostram comparato sibi domicilio, quæ Domini sunt, cum filijs enixe curat, magno toti Iaponiæ puritatis exemplo. Sed nunc ad aliam sedem transeamus.

1609. Aquizuqui sacerdos vnus cum socio alijsque rei Christianæ administris de more cõsedit, quorum industria reliquis non inferior, frugem quoque non pænitentiam demessuit. Sed à communibus encomiorum formulis, ad peculiaria facinora, rei que Christianæ statum descendamus. Eum non mediocriter concussit mors Christiani Toparchæ Curunda Soie-mondono, quem Christiano nomine annales aliqui Michaëlem, alij Ludouicum vocant, vtroque fortasse nomine insignitum. Eius præclara in rem Christianam merita, superiorum

rum annorum monumenta sæpe celebrarunt, quæ nihil opus modò est, à superiorum annorù memoria repetere, illius mortem breuiter persequemur. Venerat è regnis Quanto, quò paucis ante natalem Domini diebus negotiorum causâ concesserat, & ita venerat, vt beneficijs & honoribus auctus à Dynasta diceretur, sed attritis tantopere viribus, vt longiorem vitam minimè permitterent. Ergo ad extremum in morte certamen, vt vixerat accuratè, ita sese cæpit studiosè comparare. itaque toto ægritudinis cursu, peccatis animum sæpius expiauit, & à sacerdote nostro, qui in eius sacellulo intra arcem sacris operabatur, angustissimum viaticum accepit, nulla re alia ita se recreans, aut ægritudinis molestias leniens, vt sacrorum librorum lectione, & apta de lectis capitibus commentatione; quæ omnia tanto pietatis sensu excipiebat; vt lacrymas sæpe non teneret. vna re maximè anxius quòd multas, de Deo bene merendi, occasiones neglexisset. & quoniam Aquizuqui: seu cæli inclementia, seu medicorum inscitia, nullum leuamen reperiēbat, visum est huius regni Dynastæ, propinquo ipsius, vt Meacum deferretur, vbi enim medicorum Iaponensium industria florere creditur. Ita factum est, sed quoniam eam ægritudinem extremam sibi fore in animum induxerat, Dynastæ commendauit, vt dictionis suæ Neophytos, eâ libertate frui sine-
ret, quæ

ret, quâ se viuente gaudebant, & vt annuos cen-
sus suos in filios partiretur: vtrique petitioni
annuit Dynasta, imo fidem suam Chirographo
volens obligauit, idque Chirographum in no-
stri sacerdotis manibus deposuit. qua re maio-
rem in modum exhilaratus, in manibus quo-
que filij sui testamentum reliquit in hanc sen-
tentiam; vt si pro filio suo haberi vellet, Chri-
stianam fidem tueretur ipse ac fratres reliqui
duo, eum asseclis vniuersis; qui secus fecisset, in
hæreditatis partem ne veniret, & familiæ com-
mercio arceretur. His ita constitutis, Miacense
iter arripuit, & Voracam peruenit pridie illius
diei, quæ solemne ieiunium aperit, sed ita con-
sumptis viribus, vt quiete potius quàm itineris
agitatione indigeret. rursus apud nostrum ibi
sacerdotem peccata deposuit, & sacros Cineres
cum vniuerso famulatu suscepit, inde Miacum
diei itinere peruenit, & nihil prius illi fuit,
quàm peccatis denuo, eodem quo venerat die,
animum exonerare: postridie verò post auditū
Missæ sacrificium viaticum cælesti pane refe-
ctus accepit. & die deinde insequenti ad extre-
mum agonem sacro est oleo delibutus. Interim
hora mortis instabat, euocatis igitur denuo no-
stris, eorum hortatu, fixis in Christi de cruce
pendentis effigiem oculis, de peccatis perfectū
illum dolorem concipiens, totus animo conte-
rebatur. vltima hæc eius verba, dum Neophytū
L compel-

compellaret, fuisse scribuntur: si salutem vis-
 sequi, pietatem sedulo sectare, diuinaque præ-
 cepta obserua, nulla enim est alia ad salutem via.
 Deinde medicum Ethnicum itineris comitem
 ita est allocutus: ego te sapius ab erroribus ab-
 ducere conatus sum, nunquam hactenus au-
 diuisti, nihil dubito quin hoc ipso momento fi-
 dem eorum, quæ tibi sum dicturus, impetratu-
 rus sim. sanctè tibi affirmo, pro eo in quo me-
 des statu, te salutem non nisi in Christiana fide
 reperturum: eam ut complectaris, auctor sum
 vel maximè. & ipse facturum se recepit, quibus
 dictis, aliud nullum tempus habuit, nisi ut in-
 ter efferenda sacratissima IESU ac MARIAE
 nomina quàm pacatissimè expiraret. Et quon-
 iam testamento sanxerat, uti cadaver suum
 Nangasaquium ad communem Christianorum
 sepulturam deferretur, ut communibus pluri-
 morum suffragijs potiretur, Meaco elatum est,
 & ex itinere in hanc ditionis suæ Metropolim
 magno suorum comitatu delatum; eique mag-
 no apparatu in æde nostra, quam suis olim sum-
 ptibus erexerat, est parentatum: & tantus con-
 currentium Neophytorum Ethnicorumque
 conuentus fuit, ut mortales ad decies mille ac-
 currisse referantur. denique Nangasaquium de-
 fertur, ibique, pro suis in Ecclesiam meritis, fu-
 nebri apparatu excipitur, & dolentiū luctu co-
 honestatur.

1610. Eius morte propinquus regni Dynasta ex Chirographo fidē liberans, illius censum ac ditionem omnem in Curunda Nagatadono, Paulum eius primogenitum annos viginti natum transtulit. Is iam dudum obses fuerat illius in Iendo vrbe, quæ omnes omnium Dynastarum totius Iaponiæ, obsides habet, qua in vrbe quamdiu moratus est, semper se similem Patri filium gessit. Euocatus igitur ab huius loci Dynasta, consobrino suo ad adeundam Parentis hæreditatem, in itinere certas ab eo leges accepit, in quas iurare opus erat, si vellet in parentis censum ac dignitatem venire: harum legum caput vnum erat, vt fidem Christianam eiuraret. Sed bonus iuuenis, qui prius patriam pietatem quàm hæreditatem acceperat, coram moderatore suo affirmavit æque Neophyto, se cæteros articulos exactè seruaturum, vnum qui fidem Christianam eiurandam iuberet, nec posse nec velle suscipere. neque hoc, ait, ipse Iaponiæ summus Imperator à me unquam extorquebit, tametsi instaret; eoque nomine me male mulcetaret. ad hæc moderator mirè lætus intulit gratulor hæc tuæ firmitati, sancteque affirmo, me licet hæctenus tibi obsequutus fuerim, teq; tenerrimè educarim, nunc tamē si Christi fidem eiurares, etiam cum incredibilem meo dolore quod te ita amarim, desererem te, L. 2. ad cæteris.

cæterisque omnibus spretis me in Nangasaquir
ensem urbem reciperem, ibique raso capite, to-
tam vitam in euerrenda parentis tui sepultura
tranfigerem, & ad eam salutis meæ negotium
procurarem: sed quoniam aliter omnino se res
habet, tibi que certum est in patria religione per-
manere, iam tibi mihi que gratulor, ac spondeo,
studiosius etiam quam prius me tibi obsecutu-
rum. His moderatoris sermonibus animatus
Paulus, institutum iter prosequitur, & ad hoc
regnum peruenit. Vbi licet eum Dynasta de de-
serenda fide per se nunquam compellarit, ma-
xima tamen regni primorum pars, qui hanc do-
mini sui nouerant voluntatem, vt ei gratum fa-
cerent, apud Paulum super ea re acriter instite-
runt, è parentis censu ac Dynastæ dignitate, gra-
tia, similibus que, argumentorum, momenta
expromentes: quibus ita respondit, vt spem ex-
emerit omnibus, ipsi que Dynastæ, ad quem om-
nia referebantur; Cumque ex his propinquus
genere Dynasta facile coniectaret, quo ipse eri-
am successu inuicti iuuenis animum tentaret;
durum cepit arbitrari, & propinquitatis, & of-
ficiorum titulo permotus, quæ obses in eum diu
præstiterat, omni iuuenem censu ac dignitate
spoliare. Quod cum sensere primores, denuo
Paulum vrgent, vt in gratiam benemeriti de se
Dynastæ, qui tantum de suo cederet, ipse quoque
non nihil de fidei retinendæ rigore remitteret,
ac se

ac semel saltem diceret, se illi renunciare, facturus postea quod liberet, ipso Dynasta conueniente, ne aliqua Patrij censûs aut dignitatis parte non sine ignominia priuaretur. Sed fortissimus pugil eâdem quâ prius constantiâ omnem à se dissimulationem reiiciens: malo inquit, pauper quàm defector videri, nec solum censum vniuersum, sed etiam vitam, Christi fideique causa positurus; rogare se igitur, ne super ea re vanos sermones iterarent. Qua ex re Ethnici repulsi obstupuerunt, ac Neophyti in spem venerunt fore, vt in eo non minus præsidij quàm olim in parente reperirent. His ita transactis, ad parentis ditionem adeundam se contulit, & primum celebribus exequijs Parenti, Ecclesiastico ritu, parentauit: vtque non plus haberent pompæ quàm vtilitatis, multa liberalissimè in pauperes erogauit: capitis damnatos è vinculis exemit. Post hæc clientes suos seriò admonuit, viderent ne quid res Christiana caperet detrimenti, ac ne quid minùs quàm viuo parente suo, floret, inquisiuit etiam, ecquis ea in re tepidior videretur? Is etsi ex officio in vrbe Facatenti aulam Dynastæ cogitur sequi, tamen vt Neophytis clientibus exemplo præiret, & vt maioris hebdomadæ cætus, sua præsentia cohonestaret, huc se retulit, nec vnquam vel officijs Diuinis vel supplicantium pompæ defuit, quin ipse quoque se in flagellantium cætus immittens, a-

eriter in seipsum sauebat. Nihil denique omisit eo tempore, quod reliqui pietatis studio factitabant, proinde illius exemplo permulti deprauatos mores, cum vitæ innocentia commutarunt. & quoniam ipse Diuinæ Maiestati fidem tam arctè seruauit, Diuina quoq; munificentiâ, quæ se vinci non patitur, effecit, vt neque eum posthac ad deserendam fidem Dynasta propinquus hortaretur, neque remitteret quicquam de gratia sed augetet, eum enim sibi in generum elegit, coniugali fide illi iungens nobilissimam virginem, cum numeroso comitatu, quam ipse sibi in filiam adoptarat. Ad hæc eum suo loco in nescio quod Imperatoris obsequium ablegauit, quod nihilo minus habitum est prioris dignitate: alijs eum insuper auxit favoribus, è quibus omnes intelligunt, omnem illi parentis ditionem in solidum restituendam.

1611. Verum vt res mortalium instabiles esse solent, non diu his Ecclesia præsidijs exultauit, nam hoc ipso tempore luctuosa mors spes futuras iuuenis intercudit. Is enim quod esset animosus, propria manu famulum aggressus est interficere, qui ita merebatur. Et eum quidem obtruncauit, sed non satis sibi cauit ab eius, quem obtruncauerat famulo, à quo in ultionem heri sui, Paulus ipse est quoque interfectus, sed ita vt tempus habuerit de peccatis

catas dolendi, pœnitentiæque sacramentum in-
clamandi; quanquam id ille non est assecutus,
prius enim quàm Pater adesse potuisset, iam
spiritum exhalarat. eius morte in hoc regno
planè extincta familia Ludouici parentis eius,
tam insignis in Christiana fide retinenda vel
augenda Neophyti, & cum ea simul perije
spes nostra, qua eum sperabamus parentis
imitatorem & firmam huius Ecclesiæ basim
fore.

Sed nunc alia pauca de alijs Neophytis
commemoremus. Eadem quoque constantia
eluxit in Christianis fœminis, quibus pudore
simul ac fidem impij eripere conabantur.
Ethnicus quidam ancillam suam Christianam
eamque coniugij legibus alligatam, ad stuprum
solicitabat, sed ea nunquam adduci se passa
est, vt consentiret, sed Christiana lege, sese
casta virago tuebatur. herus vbi hæc audiuit,
intellexit fidem illi prius eripiendam, quàm
pudorem, cuius firmitas in fidei stabilitate fun-
dabatur. Iubet igitur ei renunciari vt Christo
nuncium remittat: sed illa nihilo minus deser-
tionis, quàm impudentiæ scelus detestata,
in vtroque Christianæ vitæ instituto sibi con-
stabat: instat herus iterum iterumque ac sæ-
pius nunc rationibus, modò promissis, alijs
blanditijs, nec rarò etiam minis: verùm nul-
la re potuit viraginis animus expugnari.

L 4 qua

quæ bis victrix vtriusque virtutis palmam ab Ethnico scortatore reportauit. Is enim vbi iam tentasset omnia, impium certamen coactus omisit. Aliquot etiam aliæ in eadem castitatis causa similem victoriam de impuris sollicitatoribus reportarunt, quas nec blanditiæ, nec minæ, nec in pectus adacti mucrones à proposito pudoris auerterunt, quâ suâ constantiâ cum impudentiam ipsam in ruborem dedissent de fæda libidine triumpharunt.

1611. Nec in enormibus solùm constantia delictis enituit, eâdem firmitate quædam quæ leuiora videri poterant, reiecta sunt. Neophytus quidam cum loci Governatore austero admodum, & nostræ legis hoste epulabatur, & forte dies erat, quo Christianis legibus carnes vesci est nefas: is cum appositis vesceretur, iussus est carnem sumere, nec iussus solùm, sed etiam per vim ingesta in os propè cogebatur, additis minis, nisi ea vesceretur, fore vt & officio & patria pelleretur. Verùm Neophytus respondit, non hæc se solùm sed etiam vitam ipsam in hac causa libenter positurum. ea responsio fregit hostem, & vim inferre parantem compressit.

Nec in his tantum Diuinæ prouidentię ratio Neophytos naturâ valentiores effecit: verùm etiam Dominus in omni prope negotiorum genere

nere Neophytos videtur adiuisse. Ex ijs quidam senex surdus erat, cum fidei nostræ capitibus imbueretur, itaque vix ea in aures admiserat, quæ ad baptismum suscipiendum necessario requiruntur: filium idem habebat Neophytum, à quo alebatur, eum nescio qua ex causa exulare contigit. Ergo cū aliam nullam sustinendæ vitæ rationem haberet, in propinquorum suorū, sed Ethnicorum domum commigravit, à quibus aliquot annorum, quos ibi transegit, spatio continuo ad Christi fidem eiurandam sollicitabatur, sed supplevit in eo gratia naturæ defectū, nam sibi perpetuo similis, fidem retinuit. Incidit tandem in lethalem morbum, quo tempore permisit. Dominus, vt filius opportunè ab exilio rediret, Is & propinquorum impia consilia, & parentis morbum audiens, eum in domum suam abducit, & sacerdotem ad eum, si fieri posset, expiandum, accersuit. res mira! qui tot annos obsurduerat, repente perfectè audire cæpit: ergo repetitis ex integro doctrinæ Christianæ prælectionibus expiatisque peccatis ad mortem sese seriò comparavit. Cum iam propè loquendi facultas eum defecisset, intermortuis vocibus nurum accersit, eique dicit se magno perfusum gaudio, naturæ concedere, quod nescio quam Nobilissimam matronam coram conspiceret, & alium nescio quem ad eius latus, quorum conspectu recreatus, mortis acerbiter

L 5 minimè

minimè reformidabat: atque ita quietissimè in domino obdormiuit, spectatoribus gaudium, & tam sanctæ mortis desiderium relinquens.

Agricola quidam Neophytus domum ab agro sub noctem redibat: ex itinere obuium habuit spectrum, nescio quod, à quo graui ictu ad terram afflictus, semianimis vluque loquendi destitutus, remansit, deinde se colligens, ægrè domum peruenit: vbi hoc auditum est à nostris, missus est, qui ad eum deferret B. Patris nostri Ignatij sacrum reliquiarum pignus, quo recepto paulo post loquendi vim recepit, nec ita multo post planè conualuit. quod cum is qui missus fuerat aduertisset, ipse quoque solito religiosius eundem Parentem nostrum colere cepit, cuius meritis ac intercessione deinde assererebat se duplici, quâ tenebatur, ægritudine liberatum: Alij etiam ægri permulti in puluerem redactis floribus, qui sabbatho sancto, ad lætitiæ demonstrationem, initio solemnis sacrificij sparguntur, ijque epotis salutem inueniunt, & clemens Dominus cum eorum fide ac pietate conspirat.

Rei Christianæ in Regno Ciconio status.

CAPUT

CAPVT XII.

IN hoc regno vna est nostrorum sedes in vrbe, cui nomen Yana Gaua, eam vnus è nostris sacerdos cum socio incolit, ita tamen Christianos vrbanos colit, vt sparsos toto regno Neophytos minimè negligat, in quibus excolendis cum fructu certat labor, qui etiam in Ethnicos derinatus, Christi gregem auxit pro ministro- rum paucitate non mediocriter. nam quinquaginta supra sexcentos Christo renati, sese ad ceteros aggregarunt. multa dicerem, nisi communia semel dixisse, ad euitandam silentij culpam, satis esse iudicassem, nunc igitur ad singula descendamus.

1610. Puer annos tredecim natus inconsultis Ethnicis parentibus sacra susceperat, & ita vt pietas non tyronis esse sed veterani videretur. Parens filij factum nescio vnde rescivit, eaque re accensus quod sine sua facultate id ausus fuisset, eum à Christo abducere primùm blandis rationibus aggreditur, quas illi ætati ad persuadendum satis efficaces esse cogitabat : Verum cum is nihil à proposito dimoueretur, à blanditijs ad verborum asperitatem transijt, ratus eorum metum eidem ætati esse formidabilem acerrimè igitur puer à Patre vapulat, & ita vt multos dies è lectulo assurgere minimè potuerit, sed nihilo amplius verbera
quàm

quàm verba potuère: postquam iam sese flagellationis asperitas remiserat, à filio sæuus parens precatoriam coronam exposcit, quam nisi traderet verberum atrocitate eadem hora perituum esse minatur. puer parentem nouerat, ergo nonnihil territus, Patrem fallere conatus est, globulos, nescio quos, in coronæ merem colligat atque Patri tradit, verum ille ex eo quod crux deesset, fraudem agnoscens, fustem corripit, ac filium furore amens, ita malè mulctat, vt, nisi vicini ad tumultum accurrissent, ac puerù furenti eripuissent, extremum discrimen aditurus fuisset. Sed neque hoc parentis furore, à sententia discessit, quin potius ex tolerantia vires animosque capiens palam prædicabat, se nec proposita morte salutem, quam repererat, dimissurum. Eam pueri firmitatem, qui spectabant Ethnici, demirantes dictitabant, legem hanc oportere esse insigni sanctitate sublimem, quam adolescentulus tanto labore conseruat. Filius igitur cum iam parentis feritatem ultra non ferret, veritus etiam ne fortè aliquando vel minis adductus vel blanditijs delinitus euinceretur, statuit exire de terra & cognatione sua: Ergo adhibito in consiliu[m] è famulis vno, cui maximè fidebat, abire parat, prius parenti litteras, in hanc sententiam scriptas, domi relinquens: ire se, scripsit, tota Iaponia vagum, nulla quidem in Parentem aliã offensione adductum, nisi

nisi quod à salute sua, quæ cuique libera est procuranda prohiberetur: Ideoque sciret Parens, sibi que persuaderet, certum sibi esse per vniuersam vitam, pauperem victum stipe ostiatim collecta quæritare, idque vitæ genus, ad extremum vsque spiritum elegisse potius, quàm in eius domo lautè haberi, fidei suæ desertorem: Ergo extremum valeret, & exinde iam statueret parens, se filium non habere: his alijsque à filio suauissimè scriptis commota sunt parentis viscera, cum perlegeret. Deinde in lacrymas effusus, quaquauersum certos ad eum inuestigandum homines ablegat, à quibus, iam alio in regno repertus, sollicitatusque est ad reditum: iam alium esse parentem, factique pænitentem, liberam ei impostero legis Christianæ exercendæ facturum facultatem. Non facile credulus filius respondit: se vna hac ex causa domo patria semel digressum, non ante rediturum, quam parentis Chirographum, super ijs quæ ipsi sponderent, conspexisset. Ergo ad Patrem redeunt, à quo iam amor Paternus, furore potentior omnia impetrabat, ergo amplum filio præstolanti chirographum mittit, ex animi illius sententia, quo lecto nihil dubitauit Parentis imperata facere, victorque reuersus nunc empta tot laboribus Christianè viuendi libertate perfruitur, interque Neophytos viuit, eius constantia prudentiaq; permotos, Ethnici interim cum

cum suis nostra conferentes, nihil se in suarum sectarum cultoribus simile, vel audire. vel legere profitentur.

Aliud quoque in re simili accidit non inferioris virtutis exemplum. Vxor auctoritatem mariti sequuta, cum primogenito ac reliqua familia Christo se adiunxerat; post mariti obitum omnes vtriusque propinqui, Ethnicorum rituum sequaces, ad eam à fide cum filio dimouendam coniurarunt. Nuncium ad eos mittunt, qui roget, vt ne propinquos suos hac legis nouitate deturpet ac cruciet, præstare missa religione, propinquis vti beneuolis, quam eam seruata, propinquitatem in hostilitatem conuertere. ad hæc Mater & filius ita respondere: molestum sibi esse propinquorum consuetudine priuari, sed si ita res ferret, iustum esse salutis suæ curam illi præponere. & iteratis nuncijs, idem iterabatur responsum: & iam stomachum ciebat propinquorum, suam cum consilijs, negligi necessitudinem. ergo ne minus facerent quam dixissent, ex propinquis hostes repente prodeunt. Visitabat forte hanc regionem, vnus è regni moderatoribus, isq; rebus nostris non parum infensus, rogatus, vt matrem ac filium ad fidei Christianæ defectionem, sua auctoritate compellat, nõ grauatè, filium primùm, cum deinde matrem euocat. blanda in initium faciunt verba, vbi ea minus ex animi sui sententia credere videt, ad minas pergit, nisi faciat imperata, se eum publicis, quæ

gere-

gerebat, muneribus spoliaturum, eque regni finibus nudum exterminaturum. Hæc, ut plus haberent ponderis, se Dynastæ auctoritate facere mentiebatur. Ad hæc Neophytus; qualibet alia in re, fortunas omnes ac vitam ipsam in heri gratiam positurum, sed quoniam salutis suæ curam deceat, in cuiusq; esse arbitrato, rogabat ne verbum posthac faceret de ea negligenda. Gubernator ut Neophytum magis terreret, uxorem illius obsidē capit, ac sub specie muneris publici erepti, alijs multis iniurijs eum vexare pergit, quarum particeps erat etiā Neophyti constantis patris. neuter his arietibus concussus, quin potius iam se ad ponendam vitam comparabant, hæc serio geri arbitantes. Dierum aliquod hic ludus fuit, dum interim permulta Christi pugiles paterentur. Verum hic finis fuit. Nam propinqui veriti, ne si regni moderator ultra pergeret, res ad Regem referretur, qui minimè probaturus erat quod fiebat, cum hos Neophytos in Regis famulatu vexari, eo inscio, periculosum auctoribus esset. Verum ne nihil intentatum tamen relinquerēt, supra blanditias ac minas etiam fraudem addiderunt: filio nunciant, matrem ad idola reuersam rogare, ut suam auctoritatem sequi ne grauetur. illico ad matrem conuersa strophæ, idem mentiuntur de filio: sed vtriusq; fuit vna responsum: dolere se, si vera nunciarentur: auctoritati autem in salutis causa tuenda, quod ea priuatum cuique bonum sit, non debere esse locum.

Hic

His responsis importuni sollicitatores persuadendi spem amiserunt. Nihilominus tamen victi, cum victoribus in gratiam redeunt, antequam ex necessitudine consuetudinem retinuerunt: magna semper, ut in his euentibus solet, Neophytorum comprobatione atque Ethnicorum admiratione, qui quantum in fidei nostrae opinione crescebant, tantum in suarum sectarum approbatione decrescebant.

Quæstor Ethnici cuiusdam Dynastæ pro eo quo rem Christianam odio persequebatur, pagi, cui præerat, Neophytos acriter insequabatur, utque illis ægrè faceret, sub Natalis Domini celebritatē illac venit nullo alio consilio, quam ut eam interturbaret: cum verò auctoritatis illi minus fuisset, ira incensus ea ipsa Natalis nocte, in pago & in soliti Neophyti hospitio noluit diuersari, equum etiam suum, noluit ibidem stabulari, asserens se suaque omnia in Deorum suorum esse tutela: vereri se, apud Neophytos si pernoctaret, ne vlttricem eorum vim incurreret vna cum equo: Id Neophyti in beneficijs Diuinis reposuere, cuius benignitate factum, ut nullo inhibente nocturnam illam lætitiā transigerent. Sed ecce Diuinam manum. nam blasphemæ quæstoris equus ea ipsa nocte interiit, nec ei satis inanium Deorum præsidia profuerunt. Herus ad pænitentiam seruatus, quam etsi nondum arripuit, intellexit tamen id minime

fortuito

fortuito sed superiore nutu accidisse. ergo à vexandis Neophytis iam abstinet. qui Deo gratias referunt intelligentes eius tutela tutius se, quàm quondam in Dæmonum vmbra latitare.

Senex grauis, annos natus septuaginta, à puero salutem quærebat in tuto collocare: eam in rem idolorum ministrorum æquè grauem cum aliquot discipulis domi alebat: homo ætatis adductus est ab amicis Neophytis, vt Catechetis concionibus interesset: fecit, & veritatem assequutus est quidem intelligendo, sed nondum eam sibi amplectendam persuadendo. nam cum à puero Amida coluisset, in eoque spes omnes suas posuisset, non adducebatur facile, vt tot annorum obsequia repente profunderet. Domum reuersus igitur in oratorium se confert, ibi cum Amida colloquium instituit cordatè atque simpliciter. Primum ei narrat, quæcunque à Catechista inaudierat: eaque his apertè colligi, nullam, extra Christiana sacra, salutem reperiri; sed quoniam tot annos eum coluisset, nunc penito ex pectore animi se sui sensum & consilium ei omne eloqui. Et si Amida intra dies septem, aliquam sibi significationem, aut nocturnum visum ostenderet, quo legis suæ veritatem comprobaret, nihil circa vitæ se rationem immutaturum: si secus, omnino Christianum futurum. Hac indicta Deo suo lege, ipse quoque se ad eam significationem prome-

M rendam

rendam sedulo comparat totos eos dies in sollicitando Amida consumens, sæpe corpus ablu-ebat, sæpe odores incendebat, ac reliquis, ex more, ritibus, visum aliquod eblandiebatur: abiire septem dies, & nihil bono seni, vel vigilianti, vel dormienti obiectum est. quare confirmatus, in ædem venit, baptismum petit, & ad eum instructus impetrat, eumque suscipit tanto pietatis sensu, vt lacrymis perfusus, nullum in gratijs Deo agendis finem reperiat: Baptismo expiatus, & domum reuersus, idola omnia cæteraque profanæ superstitionis arma cõ-uasat, ad Patrẽ deferenda, quæ pro meritis domi nostræ excepta sunt: senex verò pro ijs sacras effigies & reliqua pietatis instrumenta secum retulit, in Deorum locum sine mora, substituenda. Idem quoties domo pedem effert, prius genibus nixus coram sacra effigie sic eam alloquitur: ex eo quod iam senui, non satis scio an viuus domum reuertar, me totum trado tibi ac rogo, vt me custodias ac serues, cùm autem domum redit, eodem instituto, grates refert, quod saluus & incolumis in ædes peruenerit. Eius ad Christi fidem conuersio Ethnicos omnes in stuporem adduxit, vix sibi persuadentes, eum qui tanto ardore idola coluerat, iam ijs repudiatis, esse Christianum. Interim ipse è Neophyto cõ-cionator factus, quibus potest persuadet, vt fidei nostræ, saltem explorent veritatem.

Mulier

Mulier quædam Christiana, biduum & eo amplius in emittendo partu laborabat: & cinxit eam Ethnicarum mulierum turba, eius periculum inuocatione inanum Deorum & superstitiosis ritibus, renitente licet Neophyta, auertere conata: misera mulier omni humano solatio carebat: nam ea ipsa quæ solatia sibi adhibere videbantur, erant illi molestissima. Inaudijt fortè de mulieris periculo Neophytus, qui in eadem vicinia morabatur, qui ad eam B. Patris Nostri Ignatij effigiem afferens iubet, vt inuocato B. Patris huius nomine, salutem à Deo se consecuturam esse confidat: facit mulier quod iubebatur accurate, & ecce ipso momento maturum effundit partum sana & incolumis. stupuere Ethnicæ mulieres, cum viderent suos ritus nihil; hanc icunculam ad salutem tam citò profuisse. Ergo fama spargitur eius rei, & ita vt sacra effigies perpetuo nunc per ædes exorata circumferatur.

*De sedibus in Regno Bugem
constitutis.*

CAPVT XIII.

[N hoc regno vna erat olim nostrorum sedes in vrbe Cocura, regni Metropoli, ac sede Yechudono Dynastæ. In ea sex è nostris; duo sacerdotes, cum quatuor adiutoribus socijs

M 2 confi-

confidebant, quanquam sub finem adiutores
duo numero detracti sunt. Ineunte porre hoc
triennio, noua sedes in altera vrbe Nagatsu ere-
cta rogatu Naiquidono primogeniti Dynastæ
filij, regniq; totius hæredis. Parens Dynasta an-
tiquam in rem Christianam beneuolentiam re-
tinebat initio, sed tandem Ethnici maleuolen-
tia, instigante tartaro erupit, & vtramque deni-
que sedem euertit; quod vt contigerit enarra-
bo. Interim tamen magnus Neophytorum fer-
uor fuit, & Ethnicorum Christi suaue iugum
suscipientium numerus ad 2626. peruenit, in
vtraque sede videlicet toto huius triennij de-
cursu. ad eum numerum conficiendum valde
conducit Neophytorum in adducendis ad Chri-
sti fidem propinquis feruor, quos inter duo sese
supra cæteros extulerunt,

1609. Neophytus è coniuge Ethnica filios
plures suscepit, eosque altera natiuitate rena-
tos, vna cum corporis vita spiritualis vitæ gra-
tia informarat: sola pertinaciter errores suos
coniunx retinebat, quam neque mariti auctori-
tas, neque exemplum aut consilia multos an-
nos permouebant. Denique varijs certaminibus
fatigata annuit tandem, vt Catechisticas audiret
conciones, id vt marito potius obsequeretur,
quàm animo cognoscendæ vel amplectendæ
veritatis. Ergo simulatione sua pedissequis pate-
facta

facta Catechistam audiuit. Quid expectas? capta est prima concione, & ita exarsit legis Christianæ desiderio, ut fletu continuo pertinaciam expiaret, ipsumque maritum incusaret, quod mollius eam ad ingens hoc bonum impulisset.

Non absimilis huic fuit puellæ Neophytæ mater, quæ à filia eoque fatigabatur, uti Christianam fidem complecteretur, iam tædio affecta parens, sua die quadam conuasauit, in aliam urbem secessura, ut se molestijs filiæ liberaret: verum exorauit filia, ut saltem semel Catechistam audiret, nihil se in posterum hac de re locuturam. fecit inuita; & prima quidem concione redeundi voluntatem domum reuexit; tertiâ verò cum de Christo passo ageretur, internam vim spiritus mouentis non ferens, exclamauit: se velle fieri Christianam, fecit vtraque quod optabat, & in exercenda pietate pertinaciam præteritam præfenti ardore compensat.

Verum ad Dynastam conuertamur,

1609. Is anno huius triennij primo vnà cū filio suo, antiquum suum in re Christiana, suis fauoribus promouenda retinebat institutum, vnde tam insignis ad Christi gregem accessio fiebat. tantum valet apud omnes Principum authoritas & exemplum. Verum hostis humani generis hunc tam insignem rei Christianæ progressum vidit & inuidit: utque malum suū

M 3

præfens

praesens auerteret ac futurum, quoad potuit interturbare primum nostrorum, deinde sedes euertere laboravit. ad eam rem nihil opportunius est visum, quam beneuolum in nos olim remque Christianam Dynastæ animum immutare, ac primum in eum finem vt idola coleret ardentius procurauit. nam ille nunc in mille ritibus, quos ante nec nouerat, totus incumbit, & hac ratione praeparatum, mox absque iusta omni offensione, in Neophytos sociosque commouit, causas tamen quaerens, palam edicebat, se in regno suo nec Patres posthac neque Christianos passurum: minis propositis, quæ refragantes terrerent. neque alia verba deerant, quibus mutatae voluntatis aperta proderentur argumenta. Hoc audito Neophyti, qui Principis sui mouerant impetus & asperitatem quæ illi libido pro voluntate, voluntas pro ratione esset, rati sunt de Ecclesia in eo regno, nostrorumque statione esse conclamatum; in Neophytos porro turbas excitatum iri similes ijs, quas in Fingo Camzuedono Tyrannus concitabat, cum nihil inferior illo in immanitate haberetur; ergo arbitrati post vnius noctis inducias diem insequentem principium tragædiæ fore: nulla interposita mora sese ad certamen comparabat: & sanè spectabilis res erat videre cætus eos, quos inter se inière propinqui cum propinquis, familiares cum familiaribus vt sese inuicem ad effundendum

dum pro Christo sanguinem animarent. Nec istud videre licuit solum in primoribus, ac ordine militari viris, iuxta ac fæminis, sed idem in ciuibus, idem in colonis ac gente Rustica animus, dum præter cæteram comparationem quæque familia sibi eas vestes consuebat, quæ in crucem agendis velando honestè corpori, quæ nudari nefas, erant necessariae, veluti in diem proximè insequentem crux omnibus esset præparata: hoc ita vulgare fuit inter omnes, vt affirmant socij, qui rei euentum etiam ipsi eadem comparatione muniti præstolabantur, se de nullo Neophytorum audisse, animum cuiuspiam elanguisse, sed contra creuisse omnibus, certamque fuisse mortis oppetendæ voluntatem. Verùm hæc procella plus habuit metûs quàm periculi: quæ modò ad tentandos solum Neophytos immissa, ad insequentis anni certamina prælusit: siquidem die insequenti, quem certaminis primum designabant, redditæ tranquillitatis fuit initium, cùm in cuius manu sunt regum corda, Dynastæ animum immutauit iramque mitigauit. Dixit enim certum sibi fuisse Christianum nomen extinguere, sed quoniam Miaci olim vnus è Patribus (Organtinus videlicet) Gratia, coniugis suæ ossa, in medijs illis turbis quæ inter Daypha, qui nunc Cubo vocatur, totiq; Iaponiæ imperat, & filium Imperatoris demortui fuerant, magno periculo suo afferri

iussisset, ut ea honorificè terræ mandaret, se memorem eius officij, & necessitudinis, quam cum illo inde contraxerat, itemque in gratiam Patris Gregorij Decespedes amici sui, huius sedis superioris illo vivente, nihil immutaturum. causarum fortasse tamen maxima fuit quam reticuit, quòd intellexit Christianos omnes sic comparatos, ut nec morte quidem proposita, imperata essent facturi, & quoniam vinci timuit, à pugna temperavit, ne tot affeclis fidelissimis quales habentur Neophyti, se hac ratione priuaret, incertum tamen plusné interim spei an metus ab Ethnico, quotidie in idola propensiori, conciperent Christiani. In hac rerum permutatione varij fuerunt hominum vultus & animi: Ethnici, quorum propinqui vel amici erant Christi sacris initiati, suorum vicem dolebant, ac satis verebantur, ne hic imber mali partem in se quoque deplueret, cæteri, Christiani nominis hostes, gaudio exultantes iam sibi triumphare videbantur. Hi animum suum infami maximè libello euulgarunt, quo præterquam quod nos è Iaponia iam in Europam amandabant, alia multa scommata, & ludibria in legem Christianam effudere: sed ad auditam Dynastæ permutati voluntatem, omnes nubeculæ diffugère, & iram intra stomachum hostes ipsi retrusère. Porro tamen tantum sit mutatus ab illo, quem olim scripsimus, hic Dynasta, Neophyti
tamen

tamen nihil hoc adducti metu, ut de solita Christianè viuendi libertate, quicquam remitterent; vnde sperabatur fore, ut quemadmodū ipsi sibi in antiqua pietate persistebant, ita Dominus Deus antiquum retineat cum hac Ecclesia institutum, quod etiam aliquamdiu contigit: nam res tota Christiana solitā pace in Decembrem anni insequentis fruebatur.

1611. At verò quoniam huius in nos malevolentiae radix, non solum non euulsa, altius in Dynastæ animum agebatur, varijs ritibus superstitionisque augurijs ac maleficijs, quibus post parentis sui obitum perditæ se addixit, ita etiam validè emergebat quoties se aliqua dabat occasio, aut ab eo quærebatur. aliquot enim asecclas suos ex ordine militari Neophytos ad defectiōnem sollicitans, sæpe repetebat, se ædes in regno suo sacrās aut socios remque Christianam non diutius laturum quam Pater Gregorius in viuis esset: eius solius obstare gratiam quin omnia euerteret: nec tacuit quid de arca nostra facere cogitarit cum nostros expulisset, iamque eius partem aliquam nostris eripuerat, ut parenti suo vita functo templum erigeret, quod iuxta ædē nostram extruxit. Ergo Neophyti his permoti continuo impendentis mali metu angebantur, quem augebat Dynastæ illius impotentia & leuitas, qua facile cum alijs Dynastis sibi æquali-

M 5 bus

bus inimicitias exerceret. In hac ipsa tempora, iusto Dei iudicio incidit subita mors Patris Gregorij, quam initio narraui; quam vnam ille ad explenda, quæ in nos conceperat, odia præstolabatur. Ergo biduo post Patris obitum, ad Tyrannum repente delatum, renunciari nostris iubet, è suo regno ædem & eius possessores à mouendos. Itaque dirutam aut Nacatcu aut quo liberet auferrent, simul omnia, quæ ad nos pertinerent. Neophyti vbi hæc audière, certo sibi persuaserunt, Dynastam, qui cum nostris eò acerbitalis processerat, nihilo secum mitius acturum. Hinc sese ad obeundum in Christi confessione Martyrium accuratè comparant. Quam in rem prima induerunt arma, Pænitentia & Eucharistia sacramentorum, neque ij solum, qui antea cælestis mensæ participes erant; sed alij permulti in hac temporum acerbitalate, idem summis precibus impetrarunt, vt hac ratione fortiores in fidei arenam, si res ita ferret, descenderent. Tantus porro confiteri de peccatis volentium erat numerus, vt non diurnæ, non nocturnæ sufficerent horæ, inque tam intenta occupatione, præ spiritali suauitate, ex omnium, mortem desiderantium, consensu natâ, laborem socij non senserunt: Itaque & cibi & somni immemores hoc vnum factitabant. satis constat per eos dies supra bis mille expiatis, & ex ijs non nulli

nulli, iam primùm, alij de vniuersa vita confitebantur, inimicitia omnes tollebantur; qui cum offensis prius agere renuebant, eos tum amicè compellabant; qui aliàs vix toto anno comparabant, ex æde sacra pedem non efferebant, arbitrati id temporis minimè negligendam salutis occasionem; quæ si elaberetur, incertum foret, ecquæ alia rediret; & quod magis mirum est, Ethnici non pauci per eos dies ad recipiendam fidem, priusquam sacerdotibus destituerentur, concurrerunt, ij supra sexaginta recensiti omnes adulti. Tantus porro erat omnium sensus, tam tenera rerum, quibus carituri erant, nimirū æde, Patribus, salutis suæ adiumentis, deploratio, vt socijs ad comiserationem tenerrimè, & consolationem subijciendam conuersis, solatium tamen nullum admitterent, intelligentes se pastoribus destitui, à quibus aiebant, se magno studio excultos ab hostibus lupisque prorectos.

Accidit hæc res paucis ante Natalem Domini diebus, & quoniam ad euerrendam & concinnandam domum (qualem ex Iaponico more Dynastis tradere oportet, tametsi eam ipse accipere renuit) aliquot dierum spatio opus fuerit, neque id nostris negaremur, discessu in Natalem Domini protracto, celebritatem illam, velut extremum vale,
cum

cum Neophytis peregerunt. sed pro pompa, fuit internus animi sensus tristeque silentium. Et tamen concursus is fuit, qualem ad eam diem in ea celebritate nemo viderat, concurrentibus omnibus ad extremam illam solemnitatem, incerti ecquando tandem aliàs parem essent conspecturi. Ita tamen peracta omnia, vt ne Dynastæ furendi causæ darentur, quem satis intelligebant per eos dies conuiuere: Pater ergo qui aderat vnus (alter ad Neophytos alterius Natusu concesserat, vt Natalem Domini cum ijs celebraret) conspecta fidelium pietate, quos vni orationi intentos aduertebat, mirè recreabatur in Domino, animaduertens eos ad impendentia mala egregiè comparatos. Nec solum ipsi in æde nostra coibant, sed singulis post Dynastæ sententiam noctibus, deni aut viceni per priuatas domos conuenientes; ibi de rebus Diuinis interse colloquebantur, Diuorum gesta toleratæque in fidei causa martyria lectitabant, vnde se mutuo in fortiter tenenda fide confirmabant, & ad exilia, mortes etiam atrocissimas propere gestiebant. Complures etiam, velut suarum ædium immemores apud nostros excubantes pernoctabant, asserebantque se nullam nisi apud socios, quos in periculo versari scirent, quietem inuenire, quorum opera in conuasandis sarcinulis & ad exitum aptanda supellectile occupabatur.

Socij

Socij prius quàm discederent, rem Christi-
 anam quàm aptissime potuerunt, in hunc fere
 ordinem redegerunt. Iam dudum vniuersus fi-
 delium cætus in sodalitia quædam, ac veluti
 centurias erat distributus, quibus aliqui Neo-
 phyti præerant ex Nostrorum præscripto, Eos
 qui præerant, tametsi erant ex peritioribus, de-
 nuo instruxêre Socij pro re nata, qua ratione sibi
 demandatos in fide conseruarent. qui vrgente
 necessitate baptizarent, qui morientibus adese-
 sent, qui funera curarent, qui cætera facerent de-
 signati: ne vna cum Pastoribus omni subsidio
 priuarentur interea, dum Deus Dynastæ cor im-
 mutaret, aut aliquæ rerum vices, quæ sunt apud
 Iapones quotidianæ, serenitatem reueherent,
 rebus ita compositis, nocturnis horis ne tumul-
 tum cierent, aut Neophytos acerbiorè mærore
 conficerent, abiêre. Alter quidem Patrum in
 Collegium Nangasaquense concessit, alter in
 vicino regno media non amplius leuca à Bugen
 in pago Ximonoxequi substitit, vt è proximo
 componeret, si quid fortè superfuisset compo-
 nendum, spectaretque, quem ea res finem esset
 habitura, vt si Tyrannus vltra pergeret, adesse
 Neophytis in omni casu facile posset. Hactenus
 nihil mouit, nec Neophytos interturbauit: ipsi
 vero non omnem spiritualis auxiliij spem ami-
 serunt: nam locus ille in quo Pater substitit, à
 nostris in Cami regiones nauigantibus præter-
 nauiga-

nauigatur. In hunc maximè modum sese habuit huius Ecclesiæ ita florentis status, & in hanc tyrannidem, tot annorum beneuolentia, qua Yecudono rem Christianam prosequabatur, erupit. Etsi in Domino speramus fore, vt, quoniam Nayquidono filius, & Regni hæres, nihil est, quod quidem sciamus, erga res nostras immutatus, cum regni hæreditatem adierit, Ecclesia antiquum teneat, & in pristinum splendorem Cocura reuocetur.

Prius, quàm Yecudono hæc aduersus Ecclesiam, consilia suscepit, conatus est aliquotè sua familia Neophytos ad defectionem perurgere, & inter eos fuit quidam ei gratosus in paueis, qui nescio an accuratius Deo, quàm hero obsequabatur; huic Dynasta obnunciari iubet, gratum sibi fore, si à Christiana lege deficeret, quod si detrectaret, posthac se illi neque arcana sua, neque alia grauiora posse consilia committere. His alia multa addi iussit, beneuolentiæ insignioris indicia: verum fortis Christi pugil, ita respondit, habere se in animo fidem Christianam, quam præ omnibus vel honoribus, vel opibus, quas Ethnicus magni aestimarent, mallet. Itaque si se Christiano vti vellet, esse se in eius potestate: sin nollet, paratum se ad omnem fortunam, imò vitam ipsam in hac causa ponendam. Huic responso, ratus est exilium vel mortem à Tyranno imminere: Ergo in
ædem

ad eam sacram confugit peccata expiaturus, & se ad mortem comparaturus, cuius tanto desiderio succensus flagrabat, vt reliquos suo exemplo incenderet; accepit Dynasta responsum, in eoque substitit, arbitratus se non victorem sed victum fore, si vltra certare pergeret. Alios etiam, sed minus apertè tentauit, qui pari constantia impia consilia reiecerunt. Vnum è pueris honorarijs suis, eo loci sollicitari iussit, ex quo responsum ipse exaudiret; comenti sunt parentem eius æquè Neophytum, iam à Christi fide recessisse, eiusque Chirographum se habere, monere igitur, vti parentis sui auctoritatem & exemplum sequeretur; sed ita respondit, eoque vocis sono, qui ab hero exaudiri facile posset, vt spem hostibus victoriæ ademerit, ipse reportarit.

Eo ipso tempore, vt erat frequens de Martyrio inter Neophytos sermo, quasiuit è quadrienni puerulo Neophytus quidem, an esset vrgente Tyranno, Christi fidem abdicaturus? Minime verò, ait, puer: Tum Neophytus; Martyr igitur eris? cui puer: Pater ac mater, ego que vna cum ijs, Martyres erimus. Tum Neophytus, nosti tu quid sit esse Martyrem? noui inquit ille, martyr est, cui ob fidem Christi, amputatur ceruix. Tum Neophytus: at si hoc tibi intentabitur, omnino plorabis. nequaquam, ait puer, sed hilaris præbebo ceruicem.

ceruicem. Stupuit Neophytus, ipsumque Dominum, qui etiam in ætate fragili Martyrij desiderium accendit, collaudauit.

In altera sede Nacatsu fidei Christianæ cursum incitauit propensus in eam Principis ac hæredis regni fauor. ex ea Neophyti plures in varijs locis contermini excoluntur, è quibus aliqui recens ad fidem adducti Neophytorum numerum auxerunt, & in fide constantiam sæpe repetitis certaminibus prætulerunt, quorum res gestas sigillatim referre, cum instituto meo pugnat: ea enim quæ alibi essent insolentia, apud Iaponios quotidiana euaserunt.

1611. Verum omitti non debet Ethnici cuiusdam ad fidem inusitata conuersio. Is casu idolum repererat, quod opibus præesse Iaponij fabulantur: ea re mirè lætus, simulacrum in domum inducit, arbitratus se pro exhibito hospitio mox diuitem futurum: contrà euenit. nam non ita multo post, hoc ipsum tenue vitæ subsidium, quo se sustinebat, ei à Dynasta ereptum est, nescio quæ ex culpa, in eius obsequio commissa: vnde ad inopiam redactus, qui opum vim sperabat, aduertens Iaponensium sectarum inanitatem, & eorum quos pro Dijs habent falsitatem, à quibus omnibus idem sperari posset, quod ipse à suo Plutone acceperat, illum domo eiecit, & auditis tyrocinijs prælectionibus, ad
 amplexan-

amplectandam veritatem exarsit, quam denique in Baptismo est professus.

Cum de superiori sede ageremus, diximus de Patribus alterum huc demigrasse, ad animandos in acerbo casu fideles, & Natalem Domini cum ijs celebrandum. in hac arce, qui residet Dynastæ primogenitus nihil est in rem Christianam Patris more immutatus, imo præ se fert, tantam acerbicatem sibi non parum displicere: ideo sacerdoti Nostro licuit Dominicum Natalem non interno solum animi sensu, velut Cocuræ sed etiam externo, pro more, apparatu celebrare. Idem fuit horum Neophytorum, qui superiorum, animi sensus, pares lacrymæ deplorantium suam orbitatem, quoniam eadem erat sedis vtriusque Yechudono subiectæ fortuna: Pater quoque multis eos ad retinendam inter aduersa fidem est cohortatus, quam ad rem non parum contulit Nayquidono Principis beneuolentia, qui sacerdotem nostrum salutare in discessu voluit: excepit igitur eum insigni beneuolentia, imò & epulo, atque inter loquendum non obscure ostendit, quantopere sibi hæc Parentis nouitas displiceret. Verum quoniam in eius esset imperio, nihil se mederi posse: intelligerent tamen Patres ac Neophyti, se circa res nostras omnino nihil esse immutaturum: posse igitur Patres quoties vellent, ad interuisendos Neophytos excurrere. hæc & alia

N plura

plura dixit in eandem sententiam, ac Nostri de-
mum omnibus, vt in hac superiori Ecclesia cō-
positis, furori cesserunt ac Tyranno.

1610. Ex sede Cochurana sacerdos vnus
cum socio anno huius trienni altero excurrit ad
Neophytos, in regnis Magato & Suuo constitu-
tos. his imperat Moridono, qui quoniam per-
multum de cæpta in Christianos asperitate re-
misit, locum dedit hanc excursionem solita li-
bertate, & quod sequitur, fructu decurrendi. Ab
antiquis illis Neophytis Yamangachi cæptum
est, & quidem ex ipsius Gubernatoris voluntate.
Est vnde Domino gratulemur, pusillum hunc
gregem in medio tot luporum sine pastoribus
ab ouili nunquam recessisse. Inde in varia loca
sacerdotem labore fatigandum fructus euoca-
uit. & quoniam ab ipsa Dynastæ aula, in qua non
desunt Neophyti, sacerdotem nostrum hoc
rerum statu decebat abstinere, socius, quia Iapo-
nius, eo clam est ablegatus, & ab eo Neophyti
confirmati: è quibus quotquot potuere, ad Pa-
trem leucas aliquot excurrerunt, nec solum
cum Neophytis res acta est, Et Ethnicis ipsis
inter excurrendum, supra ducentos in Baptis-
mo sunt renati.

1611. Anno porro insequenti labor, fru-
ctus, visitatio, fuere eadem, nisi quod rebus ve-
cunque

cumque compositis, potuit sacerdos Noster in urbem ipsam regiam ad visendos Neophytos ipse commigrare, & hoc subsidio diu privatos recreare. Yamangachi verò Gubernator salutationis officium, à Patre alteri demandatum ipse rependit, & discedentem ex vrbe extra muros est amicè profecutus, cumque valesceret, facultatem ei fecit Neophytos quoties vellet palam ac liberè reuisendi. Quod si Mori Dynasta rescisseret se culpam præstaturum. Idem sacerdos in regnum Fiunga se contulit, in oppidū huius regni primarium euocatus, à propinquo quodam suo Ethnico, qui magnam eius regni partem obtinet, & hac occasione Neophytos illos interuifit. De fidei Christianæ mysterijs solitas Dynasta ille conciones, cum quàm plurimis suis primoribus audiuit, & visus est veritatem fidei, & salutis necessitatem affecutus; sed nonnulli eum metus humani terruere, ne admitteret, quod probabat. Ex eius tamen asseclis quinquaginta, ferè omnes adulti, Christi fidem & Baptismum suscepere; magno sociorum solatio, qui intelligebant apertam sibi ianuam ad alios plures ab erroribus abducendos. Tum expiatis, qui ibi commorantur, Neophytis, cælestique pane relectis, quotquot idonei sunt iudicati, redière cum exultatione portantes manipulos suos.

M 2 De

De Regno Bungo.

CAPVT XIII.

IN Regno Bungo vna est nostrorum sedes, & varijs locis sparsi fidelium cætus. Ea sedes, in Tacata vrbe sita est, loco ad excurrendum opportuno, sub finem tamen huius triennij in Notfu alia sedes erecta est, ad eos Neophytos vicinosque commodius excolendos. Neophyti, quæ dederint virtutis exempla, peculiaribus constabit indicijs. Lapsi complures, quos superiorum annorum procellæ ex Ecclesiæ parentis gremio excusserant, in idem recepti sunt, prius Christiani Tyrocini prælectionibus ex integro repetitis, & publicâ pænâ publicè exsoluta. Ex Ethnicis verò ingens hoc triennio numerus ad Christum accessit, 2377. & primis annis sacerdotes non plures tribus, postea quatuor cum singulis socijs eam vineam excoluerunt. Sodalitij parthenij salutare institutum recens indutum, Tempa sex varijs in locis erecta, cruces defixæ celebritatum frequentia se ipsa frequentior, flagellantium ordines sese longius explicarunt, sed hæc vulgaria: è multis pauca peculiaris que seligamus.

Nusquam alibi tota fortasse Iaponia, inferni spiritus acriorem exercent quam in Bungensi regno, Tyrannidem. Energumeni visuntur complures, qui mali sui leuamen ab ipsis auctoribus mali

mali petunt: Dæmonem suis artibus pellere aggressi. In quo cum Ethnica mulier annos complures frustra fuisset, ignara vnde subsidiū peteret, ad Christi fidem nescio cuius hortatu concessit. Erudita nostris sacris & Baptizata in perpetuum ab importuno hospite liberatur. Alteri etiam Energumenæ, idem cesserat ex animi sententia, sed tamen hoc habuit peculiare, quod imbellis Dæmon, cum nihil ultra potuisset, ulturus suæ desertionis iniuriam, dormienti mulierculæ capillitium omne abrasit, eaque iniuria contentus recessit, sua imposterum, mulieri reddita sanitate. Aliam quoque Energumenam, grauis in tibia dolor ita torquebat, vt nullius contactum ferre posset, ad eam euocatus Catechista noster, claris indicijs sibi persuasit, eas esse Dæmonis præstigias non morbum: ergo iniecta in collum sacra reliquiarum theca, nolenti Dæmoni extorsit inuitam confessionē: quanquam prius varia mentitus, ne dignus quidem fide tunc est, cum videri vult vera protulisse. vrget igitur illum vt abeat, sacros in eum detonans exorcismos. tertio fallere, voluit simulato discessu, sed tandem sacræ thecæ ac verborum vi in suos ignes relegatus. idem agni sacra cera in Ethnica etiam muliere fecit. Octennis pater sæpè sua fide & piacularis agni cera contra Dæmones depugnauit, ac vicit: Is Christi fidē Diuino afflatus lumine, non exemplo domesti-

co prouocatus susceperat: nam illius Parens acceptam semel fidem, si non eiurauerat, negligebat tamen, Ethnicisq; viuebat similior quam Christianis: Mater etiam tum Ethnica, nihil de Christi fide id temporis cogitabat. Puer supra ætatem rerum Diuinarum capax baptismum impetrarat, ac ita deinde vixit, vt breui exemplo solo parentem, vti se inspiceret: permorit. Matrem etiam vt Christi sacra sequeretur incitauit, iam tota familia pueri auctoritatem sequuta Christum profitebatur, quam rem indignius ferens Dæmon, accitis commilitonibus suis, præstigiatorium bellum parat: nam antelimen visi sunt equites permulti, qui magno tumultu terrorem incusserunt, ad hæc puerulus, nihil metu opus est inquit, sacri agni thecam habeo, videbimus quid contra eam Dæmones audeant: & ecce imbecillis Dæmonum manus ad pueri vocem euanuit.

1610. Nondum à Dæmonibus abimus, frequentes de ijs triumphos cantraturi. Ethnica mulier maritum ita detestabatur, vt nulla quies aut coniugalis amicitia inter eos intercederet: id focrus eius impotenter ferens, multis deprecationibus idolum aliquod fatigauit, vt insigni aliqua nulum pæna mulctaret; in eam rem hoc ritu venefico vsa est; in idoli capite venefici ollam collocant lapideam, vario ritu: non ita multo post miseræ nurus facies instar ollæ intumescit,

tumescit, quo tumore fæda illa horribilisque à suo conspectu omnes auertebat, post paulo putrescens, saniem cum fæore tanto emisit vt hominum commercium arceret, eoque tandem deuenit, vt defluente capillitio nullum in humana iam ope præsidium inueniret ergo desperata corporis salute, de animi sollicita, Christianæ fidei mysterijs instrui, post etiam voluit initiari. eo factò, quoniam hic morbus Dæmonis arte, non humanis ex causis oriebatur, eiecto Dæmone, natura sibi reddita, pristinam inuenit sanitatem: sed prodigium fuit euidentis in tempore. nam breuissimo post baptismum interuallo vultus pristinam formam capillitio de nouo ac celeriter recrescente accepit: id pro miraculo ab omnibus ita habitum, vt qui eam prius viderant in agnoscenda dubitarint, intellectumque est ab omnibus, quam vim salutaris aqua in animos exercent, quæ fædissimo corpori pristinam celerrimè restituerat venustatem.

Ethnicum alium infortunijs etiam domesticis à Dæmone procuratis compulit Dominus ad se cognoscendum. Iam aliquot menses domus diurnis ac nocturnis horis frequenti lapidatione, incertum cuius manu missa, infestabatur: demum ad lapidationem incendi-um addebatur, quo domus iam iam arsuræ sæpe videbatur, sed fictos ignos facile domestici restinguebant: super atque hæc domesti-

cus famulus à Dæmone torqueri cæpit, quibus
 vt se liberaret Paterfamilias Ethnicus, sacrificu-
 lum accersit, à quo cùm iam victū Dæmonem,
 discessum parare credunt spectatores, exem-
 plo terribili lapidatione tota supellex dome-
 stica disijcitur: hic sacrificulus tremere, & salu-
 tem matura fuga quærere adornans, ab hero
 tamen ad compotandum inuitatus, sese conti-
 nuit. Iam vinum ex more calefiebat, cum Dæ-
 mon, sacrificulum suum nihil veritus, vinum
 arena opplet, quo ille viso abit, sitim pariter
 secum efferens ac metum. post eius discessum
 Energumenus hero dixit: se idolum esse, idque
 nominabat, quod apud Iapones insigni honore
 colitur, abiturum se, si sponderit sacram sibi
 ædiculam, sin autem neget; tum se illi-
 us ædes incensurum: Hero cunctante, do-
 mus ardere cæpit, nec nisi magno labore ser-
 uata est. denique nulla hero quies ab importu-
 no Dæmone, cumque aliud nullum refugium
 inueniret, ad nostros venit, quid faceret edo-
 ctus, cum vniuersa familia, quæ erat ferè qua-
 draginta capitum baptizatur, & illico se liberum
 ab his orci intemperijs præstitit. Ægris etiam vi
 Baptismi salus restituta. ex ijs vnus vi morbi
 loquendi vsum amisetat, itemque cæteros ferè
 sensus, vnico auditu excepto, quo salutis voces
 excipiens baptizatur, vnaque loquendi recepit
 facultatem; itaque recepit, vt expeditius etiam
 quam

quàm prius loqueretur. Idem Energumeni in baptismo remedium inuenerunt. Ad Neophyti domum venerat Ethnica mulier: intentisque oculis sacram imaginem intuita, subito furere cepit ac bacchari. se idolum certi loci dictitans. Intellexit mulierem Neophytus ab importuno hospite possideri. Ergo sacrum flagellum arripit, & Energumenam seriò flagellat (hoc remedio contra Energumenos frequenter vtuntur, & sæpe salutariter Christiani) inter flagellandũ Dæmonem increpat, quòd coram sacra imagine baccharetur; vrget deinde quis quare venerit? responderet se hanc mulierem à prima ætate adamasse, ideoque apud eam persistere. pluribus inter se vltro citroque actis, iussus ad extremũ abire, respondit; se facturum, ac simul ei rei significationem dedit, ergo mulier domum repetit, verũ inter eundem eam solo affligit suam plane impotem, paulopost tamen sibi reddita ire perguit: vtque remedium inueniret, Catechisticas conciones audit, instructa baptizatur, & imposteum libera existit ab importuna vexatione.

Non absimile est quod sequitur. Ethnica mulier, triennium ferè eodem malo vexata, nullam in profanis ritibus, quos permultos adhibuit, leuamen inueniebat, & si forte Neophytum conspicanti, sacri agni cera ostendebatur, eam mirum in modum horrere videbatur.

N 5

Hinc

Hinc sensere propinqui, vnicum illi in Christianis ritibus esse auxilium. ergo aliquem Ecclesiae administrum vocant, quo Energumena conspecto fugam struit, sed à presentibus comprehensa, ministro sistitur, qui repugnanti, per vim, sacram agni cerei particulam è collo suspendit, eamque flagellat imperans, vti ex hac muliere discedat. recepit se. facturum, & mox misera mulier sibi reddita, in ædem sacram ad Catechisticas conciones defertur, quas initio quidem magno labore audiebat, sed post paulo quietior visa, perduravit, etsi domum repetens, vix pene sacrae ædis atrio pedem extulerat, cum solo alliditur velut exanimis, sed resumptis viribus, conciones audire pergens, baptizatur atque liberatur.

Illustre est quod sequitur Diuinæ severitatis iuxta ac bonitatis exemplum. Herus Ethnicus ancillam Christianam importunius sollicitabat, vt in Amidæ templum se conferret: initio quidem restitit, asserens se Christianis ab ea re legibus prohiberi, sed cum acrius etiam minis instaret, ad extremum elanguit: ibat misera, & in itinere manus iam sæuientis simul ac misereantis eam tetigit. nam subita cæcitate percussa, iter persequi non potuit, eo casu permota mulier, quos terræ clauserat, cælo mentis oculos aperuit, intellexit enim hanc esse vindicis Dei manum, ergo facti penitens, domum oculis capere.

pta repetijt. Totum triduum durauit malum, quo toto facti veniam supplex exposcebat, expleto triduo visa sibi in somnis est, ædē sacram petere, ibique sanctissimam virginem magno splendore cinctam intueri; atque excusso somno simul cæcitatem excussit: nam apertis oculis lucem restitutam sibi sensit. Exinde fidei lumen cautius fortiusque retinens, Ethnicam solito acrius detestata est cæcitatem.

In ædibus piæ mulieris ortum incendium, spē extinguendi superabat, ergo vt saltem imaginem suam flammis eriperet, scabellum conscendit, è superiore quippe loco pendeat, sed cum hoc ageret, repente mutato consilio, iudicauit salutarius esse; si eam ad seruandas ædes suo loco non moueret, & in genua prouoluta magna fide iam conceptum restingui rogat incendium. Audiuit Dominus piæ mulieris fidem ac votum, nam nullius adminiculo furentes flammæ sopiuntur, & ædes iam vri cæptæ conseruantur.

Sacra cera non absimile restinxit incendium, quod ad Neophyti domum secundo vento ferebatur tanto impetu, vt ab eo repellendo cessaretur: Neophyti omnes genibus nixi voce alta suas orationes pronuntiabant, ex ijs vnus sacri agni particulam flammaram vorticibus opponerat: cum ecce tibi subito ventus aduersus vehementi flatu ignes auertit, atque ita Neophyti domus liberata.

Eodem

Eodem præsidio paucorum dierum Neophytus, sese ab importuno Dæmone liberavit, à quo nocturnis horis toties proprio nomine accersebatur, vtiam præ molestia tolerari non posset: Is comodatò acceptum à Neophyto sacrū agnū è collo suspendit, nec aliàs est vnquam è Dæmone compellatus.

Neque nulli etiam in hac Ecclesia fidem Christianam, ad defectionem sollicitati, fortiter tenuère. Adolescens inconsulto Parente Christi sacra suscepit, resciscens Parens, institit etiam stricto ferro, vt eam abiuraret. Cum nihil efficeretur, domo turpiter eiectus adolescens in fidei causa viuebat tanto liberius & libentius. Cum postea de conciliando ageretur, nihil illi antiquius fuit, quam postulare vt per Parentem Christiano sibi ritu viuere liceret, quod nunc quoque facit eadem semper animi firmitate.

Alius cum vxore Christo se adiunxerat, qui dū vanum simulacrum, intra domus suæ claustram olim collocatum, totique vicinæ venerabile, eijcit, idque vicini ferrent impotentius, consensu ad loci moderatorem Ethnicum concurrentes, Neophytum accusant: grandis sacrilegij audita accusatione Iudex, sententiam pronunciat, vt Neophytus, idem aut simile simulacrum eodem loci restituat: Neophytus respondit: se, Christianis legibus prohiberi. nec aliud
dixit,

dixit, aut fecit, tametsi Iudex ferociens extrema omnia minaretur.

Iuuenis cuiusdam insignis fuit ad suscipiendi Christi fidem ardor. Is iam diu ad Christiana sacra aspirabat, sed ab æde sacra magno interuallo distabat: ergo tarde voti compos fieri potuit. Interim tamen quoniam ardebant eius vota, precatorios globulos sibi comparat, eosque ad Neophytorum morem, iam orare doctus, decurrere instituit, per solemnis ieiunij dies ter se hamato flagello cruentum in modum concidit. Atque ita pro Neophyto se gessit, quamdiu Patris adeundi facultas non fuit, quæ postquam data est, quanto putas ardore eum fidem suscepisse, ad quam tot votis tamque insigni comparatione aspirarat?

1611. Sed neque postremus annus rebus admirabiliter gestis caruit. In cæmeterijs duobus duæ cruces à Neophytis erectæ, quarum altera etiam prodigio celebris fuit. Ethnicus tertiana laborabat, & Neophyti suasu humeros oneri sacro supposuit, dum ad locum, vbi erigenda erat deferretur, certa spe fore, vt hac ratione febrem comprimeret, ipsoque momento conuuluit, & religionem Christianam suscepit.

Puerum quendam horrenda quatuor, serpentum specie, spectra terrebant: in eum subinde iruebant eo impetu, vt etiam spectatores horre-

horrerent. nam qui modo sanus, momento ita à mente alienatus, soloque afflictus relupinus volutabatur, & gesticulationibus & clamoribus horribilis adeò, vt præsentibus starent comæ, multa Ethnicis parentibus inanes Deos deprecantibus & nihil proficientibus: petenti Neophyto puer traditur, vt eum salutaribus baptismi aquis tætra Dæmonis tyrannide liberaret. mox ad sacram ædem adductus est, indeque in Catechumenorum ludam, ad audiendas cum reliquis Ethnicis, doctrinæ Christianæ prælectiones, vbi in eum irruere serpentes magna vi, & pueri clamoribus euocatus Pater renitenti, aquam lustralem ingessit, qua epota mox confedit, & attonito similis montem indigitans: Ecce tibi in montem aufugiunt, ait. Exin quieto audire quæ docebatur licuit; & suo tempore ablutus animum simul & corpus in tranquillo collocavit.

Adolescens Neophytus corripiebatur subinde lunaticis quibusdam furoribus, ita impotenter, vt arrepta sic in parentes, fratres ac reliquos domesticos nullo delectu impetum faceret: quibus nulla erat nisi in fuga salus: domestica interim omnis, quæ fugere nõ poterat suppellex, absentum vicem luebat. coquebat res parentes, cum fortè femina Christi religiosè cultrix eos miserata, statuit puerum in filium adoptare, freta vt Diuinis auxilijs mansuesceret: facile fuit à

pertæ.

peractis tot malorum parentibus filium imperare; à quibus ad sacerdotem nostrum abduxit confessione expiandum, tum sacri agni ceram & precatorios globulos à Patre acceptos, ex eius collo suspendit, nec mora cum horum omnium virtute conualuit.

Ethnica alia mulier, subinde inepta quaedam ita effutiebatur, ut à Dæmone profecta viderentur: adhibuit quotquot potuit Ethnicos ritus, & inanium Deorum inuocationes nullo euentu, imo ut extrema omnia tentaret, contulit se in idolorum sacellum, in eo totos septem dies surdos Deos deprecata nihil profecit: Ad extremum in Neophyti cuiusdam domum se contulit, suadentis ut in ædem nostram sacram se comite pergeret; at ubi in Patris conspectum venit, ineptias suas prolixè cepit effutire: cum verò eius capiti sacram capsulam, in qua crucis Christi frustulum asseruabatur, impositum fuit, conqueuit, nec ita multo post mysterijs nostris una cum marito ac filijs imbuta, in Baptismo integram reperit sanitatem, exinde tantum concepit pietatis ardorem, ut à sollicitandis ad Christi fidem ciuibus suis nullum finem faciat.

Neophytus vnus aliquis extuberantis vlceris doloribus multa absone proferebat, vicini Neophyti cum ad eum visendum venissent, in ipso tumore signum crucis exprimunt, & inde euandum tuber mox in alia corporis parte promicat, eum rursus pelleretur, rursus alio loco extuberavit.

Demum

Demum medicum accersunt eundem tamen remediij expertem, & de ægro conclamantem. Hinc ægri parens ad subsidia Diuina confugiens, filium cum multis Neophytis in ædem asportat, ibique simul omnes pernoctant. Die insequenti Pater sacrum facit, quo peractofacram illam capsulam, de qua modo, affert, (comodum dies erat inuentioni S. crucis sacer) qua ægri capiti imposita, mox dolores sunt mitigati. inde domum redit iam melior, sed ita vt intra dies paucos planè conualuerit. Eadem capsula mulieri, quæ velut mentis impos, delirabat, sanum cerebrum reddidit, frustra alibi salute requisita.

Neophytum quendam in fide infirmum ab ea perfidè recedentem: cum alia multa mala, tum cæcitas imprimis inuaserat: multa bis cæcus inanes Deos deprecabatur, vt aliquod malis suis, sed cæcitati maxime, qua præ cæteris agebatur, leuamen darent: omnia in cassum. Quadam nocte insomnis audire sibi visus est: respisce, & redde te Ecclesiæ; nisi feceris, nullum leuamen inuenies: ea voce somnum excussit. & cogitabundo apparere visa est Crux ingens, cuius interiore conspectu ad se redijt, & attonitus intelligere cæpit, perfidiæ suæ grauitatem: & Neophyto adito, aperit, quæ audierat ac viderat, tum consulit eum quid facti opus, paratam se nunc esse ad omnia. Auctore isthoc nixis coram
 imagine

immagine sacra poplitibus, pectus percutiens pulsatur, & veniam peccati rogat: mira res! vix hoc, cum ecce tibi oculi ei aperiuntur, & cæterorum malorum acerbitas se remittit, qua ex re non ille solum sed aliquot alij desertores, & Ethnici eius vicini fidem, cuius erat ea vis, vel repetierunt vel petierunt.

Neophytus quidam subtepidus ab Ethnico emerat nonnulla idolorum fani ornamenta, ea deinde apud se cum aliquo cultu asseruabat: nō ita multo post, visus est sibi videre virum quendam cultu venerando, à quo argueretur. Verum ille primam reprehensionem insuper habens, iterum nocte insequenti ab eodem asperius increpatur; audit & facti pœnitens ad Patrem venit, à quo admonitus est, qua ratione tantum scelus expiaret, & in posterum religiosius cole-ret pietatem. Neophytus alius plures iam annos se pro Christiano minime gerens, in somnis videre sibi visus est quem piam è nostris Patri-bus, monentem, vt sua professione dignam vi-ueret vitam: visu territus, die insequenti sacram ædem petiturus obuium habet Patris socium, continuo ipse secum: an non est hic quem ego in somnis vidi? cum postea in Patrem incidisset, quem antea nunquam nisi in somnis vide-rat, agnouit. Ergo illi rem aperit, & repetitis de-nuo legis Christianæ capitibus, in viam melio-rem regreditur.

O

De

*De Sede Firoxima in Regno**Aqui.*

CAPVT XV.

IN hac Dynastæ Metropoli, tres è nostris con-
 sedere, sacerdotes videlicet duo cum socio,
 cum cæteris, qui strenuè collaborant, de more,
 cultoribus. magnus fuit Neophytorum in o-
 mnibus Christianæ fidei exercitationibus ar-
 dor, qui nulli cæterarum sedium feruori cedere
 perhibetur. Ad eam rem iuuat vel plurimum
 Dynastæ beneuolentia, qui & hoc & aliud reg-
 num Bingo moderatur, qui sæpe palam edicit,
 salutis cuique propriæ procuracionem liberam
 esse, nostrosque hortatur, vt Diuinam legem
 longè lateque suis in regnis euulgent. Nec re-
 quàm verbo minus est liberalis, in sine quotan-
 nis, ad sumptus domesticos, pecuniarium subli-
 dium confert, & quidem hucusque ita beneuo-
 lentiam tenuit, vt etiam auxisse videatur. anno
 quippe tertio eo die qui circumciso I E S V sacer-
 est, publicam fecit omnibus suis Christianæ le-
 gis suscipiendæ facultatem, & huius quoque
 fauoris virtus Ethnicos complexa, Neophytorum
 numerum quotannis auget, pro indigenarum
 propensione non parum, quòd huius regni in-
 colæ, profanis idolorum sacris addictissimi, Pa-
 triam eripi sibi egerrimè sinunt religionem, &
 ferè qui ad Christum adiunguntur ex ordine
 sunt

sunt militari, virique nobiles, quod hominum
genus fere ex alio in aliud regnum commigrans
lautiores Dynastas comitatur, & raro in Patria,
militarem exhibet famulatum. ex his igitur to-
to triennio viginti supra septingentos desertis
idolis ad Christi castra confugerunt.

1609. Hos inter nonnulli pene ab Ethnico
sacrificulo, dum aliud agit, omnino persuasi ad
audiendam Christi legem properarunt. ex ijs v-
nus sacrificuli oratione, qua mortalem, vna
cum vita corporis, animum interire contende-
bat, nec aliud quicquam ex vllius legis præscri-
pto in altera vita solidi reperiri assererat: hac
inquam oratione offensus, ad audienda nostra
se contulit, quantumlibet sacrificulus ille fama
celeberrimus, & consulto ab Dynasta euocatus
esset, vt parentis suæ panegyrim in funere per-
oraret. audiuit igitur, apertisque Diuina be-
nignitate oculis, facile à tenebris lucem distin-
guens, Christi fidem amplexatur, & domesticos
omnes, vt idem facerent suo exemplo permo-
uit. Et tam in retinenda fide, quàm in suscipien-
da sese Neophyti nihilo segniores præbuerunt.
Etenim duo ab Ethnicis Parentibus ad defectio-
nem variè sollicitati, domesticum exilium lu-
bentes in fidei causa pertulerunt, secum è do-
mesticis opibus nihil præter victoriam, & reli-
gionis exercendæ libertatem efferentes. Mulier
suam Christiana ab Ethnico marito con-

tinuis affecta molestijs, vt externo 'saltem aliquo signo fidei suæ defectionem simularet, ita restitit, vt maritum monuerit, se si vltra instaret, capillitium abrasuram : quo facto Iapones solent religionis apud nos intra cænobia suscipiendæ professionem imitari, interea maritus Christianæ pietatis arma coniugi surripit, vt tanto facilius vincat, sed illa nihilo infirmior etiam exarmata de laceffente triumphauit.

Vicinum est Regnum Iuami: in eo sunt Neophyti nonnulli, tametsi Dynasta Diuinæ legis hostis acerrimus eam extirpare conetur. Exijs Neophytus sæpe oppugnatus, tandem in animum induxit, ad vitandam Dynastæ offensionem licere sibi precatorios globulos, Ethnico more conglobatos, eo præfente gestare. Sciuit hoc Tyrannus, neque hac etiam sibi simulatione satisfactum ratus, ait, scire se Christianos aliquot, clam suæ religionis institutum conseruare, eos se acri disquisitione exploraturum atque mulctaturum. Intellexit Neophytus has in seminas fuisse iactatas, ergo profanos globulos abijcit, & se palam suæ Religionis facit professorem. Non tulit iniuriam, quam ita interpretabatur, tyrannus, sed quæsitis alijs causis Neophytum illum vna cum tribus filijs obruncauit. quem Neophyti plerique habent pro martyre, sed nondum satis excussa per Episcopum causa, nihil temere pronunciat, saltem insignis

nis animi fuit, qui ne morte quidem proposita, à
profitenda fide deterreri potuerit.

1610. Ludouicus nobilis in paucis Neo-
phytus, non pietate minus quàm dignitate, què
sæpe annales, ob virtutis merita prædicarunt,
hoc tempore diem suum obiit Miaci, triduo
quadriduoque, postquam confitendo peccata ex-
piarat, & sacro pane animum refecerat. Eam
mortem magno sensu doloris exceperet Neo-
phyti, neque nos minus tetigit, quod in eo pa-
rentem amitteremus, nam præterquam quòd
sæpe inopiam nostram subleuabat, in eo quo-
que intelligimus stabilem huius Ecclesiæ co-
lumnæ suo loco fuisse commotam. Non æ-
quius eius iacturam tulit Dynasta ipse, cui Dux
strenuus magnique consilij vir interibat: etsi
filius superstes iacturæ solatium est, qui, vt hæ-
res familiæ ac fortunarum, ita videtur futurus
paternæ pietatis.

Morienti Ludouico alium Dominus repen-
te suffecit, virum Nobilem atque copiosum, &
magnis animi dotibus præditum: Is cum Chri-
sti fidem suscepisset, mox ab Ethnicis amicis
impetum grauem pertulit: varijs rationibus ad
defectionem impulsus, sed cum Dæmoni, cuius
hierant instrumenta, nihil artes istæ profice-
rent, alio se conuertit: Deo enim ita permitten-
te, vxor in ægritudinem incidit, ac filia pedem

fædè ambussit; infortunijs permoti ij, de quibus
 dixi, amici, nouo in eum impetu irruere: intel-
 ligeret tandem aliquando, ab iratis, quos dese-
 ruerat dijs hæc infortunia cælo immissa delabi:
 Ergo cum ijs in gratiam postliminio rediret: ad-
 didere deinde multa in S S. fidem nostram con-
 tumeliosè conficta: verùm nihil concussus est
 noster pugil, quin ea quæ dicebant modesto ri-
 su excipiens, vanas ratiocinationes, solidioribus
 ita confutauit, vt eos ad silentium deduxerit:
 Itaque quam ille Domino, Dominus illi serua-
 uit fidem, nam coniugi salutem ac filia vnâ re-
 stituit, nec corporis solùm, sed susceptis mariti
 ac parentis exemplo sacris nostris cum vniuer-
 sa familia, quæ numerosa est, morti creptos æ-
 ternæ, ad perennis vitæ spem euocauit. Ita por-
 ro se nunc in suscepta Religione gerit, vt à vete-
 ranis solo tempore differat, non virtute. Eius
 exemplo speratur fore vt multi ad Dominum
 & conditorem suum conuertantur; quod iam
 ex ijs fecere nonnulli, qui sub eius vexillo sti-
 pendia merentur. Alius quoq; Neophytus gra-
 uis, atrocius certamen depugnauit. à parente
 Ethnico vrgebatur ad fædam desertionem, sed
 ille tantum scelus, cum animosè repelleret, fu-
 rorem in se parentis, aut potius carnificis conci-
 tauit: stricto ferro ceruici minabatur; nihil eare
 perturbatus filius ictum expectabat, eumque
 proculdubio recepisset, nisi, qui ad tumultu ac-
 currere

currere vicini, filium furenti subduxissent. ita nunc Neophytus noster animo viuit & corpore, & deinceps fortiter in officio perseverat.

1611. Idem facit solito etiam ardentius qui sequitur, caelesti luculente beneficio prouocatus. Neophytus religiosus in primis, precatorios Deiparæ matri globulos prima nocte proforibus decurrebat. Cum ecce tibi, stricto ferro sicarius in eum inuehitur, mortui deinde domum deprædaturus: sed ecce dum ictum parat, repente attonito similis restitit, erecto iam ferro, velut immobilis: inde sine ulteriore iniuria fugere cepit nemine persequente; atque ita religiosus Virginis cultor ab ea, ut vero simile, videtur, protectus euasit. Alius quidam precatoriam quoque coronam euoluebat, cum ecce tibi glans incertum casûne an studio è sclopeto emissa, qui lateri astabat famulum deiicit, ipse virginis, quam venerabatur, tutela illæsus euasit. Sequentem Dæmon à suscipienda fide frustra deterruit. Seni cuidam viro graui ad Christi fidem aspiranti, Dæmon clara se specie visendū dedit, nunc merum incuriens, nunc beneficia blandè commemorans, quæ in eum belli domique congesserat; quæ omnia si Christi fidem susceperet, ingratus confringeret: sed Dæmonis esse maleficia ratus, Dei beneficia, hunc præ illo sequi maluit.

De Miacensibus domicilijs.

CAPVT XVI.

Miacum totius Iaponiæ caput, quanquam non est hodie consueta Imperatoris sedes, duo habet nostrorum domicilia, in commodiorem Neophytorum vsu in diuersa vrbs statione constructa. Alterum Miacum superius, inferius alterum, siue Comiguiuo nuncupatur. In vtraque sede cum sedibus primariæ attributis, viginti admodum è nostris hoc triennio consedere, quorum pars ferè dimidiata è sacerdotibus constat, ceteri sunt ex adiutorum ordine, quos præter Alumni Catechistæ alijsque rei Christianæ administri familiam constituunt vt-cumque numerosam. Horum industria in excolendis Neophytis, vt nihil habuit cæteris domicilijs minus, ita nihil habuit singulare, præterquam quod per maioris Hebdomadæ dies sepulcrum Christi è vaticinio prophetæ gloriosum, asseruando augustissimo sacramento affabre nunc primum erectum est ex eo tempore, quo superioris Imperatoris incitatus in Rem Christianam tumultus, multa in hanc diem ad euitandas turbas necessariò subtulerat. Magnifica etiam pompa festum corporis Christi diem explicatis supplicantium ordinibus cohonestauit: id, vt erat etiam primum, incendit sua nouitate pietatem. Iaponum enim animi externo plerum-

plerumque apparatus permoueri soliti, sua propensione à nostris incitantur. Hæc de Neophytis, Ethnici quoque Diuinitus hoc ardore permoti, errores suos toto hoc triennio centum & septuaginta supra mille abdicarunt.

1609. Nihil æque permouit primo quidem anno Ethnicorum ad fidem concurrentiū multitudinem, quàm insignis contumelia in sacrificulos inimicissimè Christianæ sectæ professores, ab ipso Imperatore, qui aliam sectam proficitur, inflicta. Narratio digna est annalibus, vnde enim falsitati decrescit auctoritas, inde veritas accipit incrementum. Inter varias errorum sectas, quæ tota Iaponia teterrimam inducunt cæcitatem, duæ sunt celeberrimæ, alia veneratur Amidam, quæ sectatores suos Tondoxus appellat, altera Xacam Diuinis honoribus colit, suosque professores Foquexus appellari contendit; vtriusque sectæ profani cænobitæ, non ita Miaco procul, olim intra montes tria cænobiorum millia, numerasse memorantur, inter vtramque sectam mira contentio, vt fere solet, intercedit. è xacæ veneratoribus superciliosus orator, è loco superiore non solum suum xacam prædicabat, sed Amidam conuictijs, eiusque sectatores diris impetebat nec in Christianos mitior multa detonabat, aiebat se confutatis breui Amidæ asseclis, Christianam legem

O 5 Miaco

Miaco exterminaturum. Audierunt in Amidam
 suum iniurias illius veneratores, ac tulerunt
 impotenter, impetraruntque, uti è sua secta No-
 bilissimus orator è loco item superiore verbo-
 rum tela telis opponeret. Xacæ orator miratus
 fuit, in Amida secta reperiri, qui secum congre-
 di auderet, itaque proxima concione antagoni-
 stam in arenam prouocat certamine singulari:
 & tamen è sua ipsius secta familiares eum ab
 incepto deterrebant, prudentia fortasse infor-
 tunium præfagiente, induci tamen omnino non
 potuit, ut duellum intermitteret. disputationi
 dies condicta famam eo usque vulgavit, ut ad
 Imperatoris ipsius Cubo, aures perueniret. ergo
 renunciari iubet, velle se id certamen præsentem
 se decertari & disputationis locum urbem Yen-
 do, hæredis filij regiam designauit. hic capit
 Xacens primū titubare: constabat enim Ami-
 dam ab Imperatore coli non Xacam. itaque
 iam iniqua videbatur ex Imperatoris fauore fu-
 tura congressio: nam etiam Xaceus orator eo-
 rum quæ alibi in Imperatoris ipsius filium pro
 concione declamasset conscientia territus, ni-
 hil dubitabat Imperatorem sibi esse infensio-
 rem, dixerat enim aut potius finxerat frequen-
 ti concione, Imperatoris ipsius filium, urbis
 Oaū Governatorem, nuper defunctum æter-
 nis apud inferos pænis, quod Amidam Xaca
 pertu-

pratulisset, cruciari, & ideo tota Iaponia va-
 gum equitare, nulla concessa quiete, & vt in-
 flicta pœna constaret, varijs in locis apparere.
 ea omnia ad Imperatorem delata, disputato-
 rem non immerito terrebant: & tamen nullus
 tergiuersationi locus fuit, in eo maximè qui
 prouocarat. Ergo vbi condicta dies aduene-
 rat, coram Imperatore, & quod inde sequitur
 coram innumera multitudine certaturi conue-
 nère. Cuius disceptationis euentus cuiuslibet
 expectatione inferior fuit; nam rabula ille
 Xacæ cultor, plurimæ aliàs loquentiæ, eo loci
 vbi solus loquebatur, ita obmutuit, siue
 Maiestate Imperatoris obstupefactus, siue
 maledictorum conscientiam deterritus, nul-
 lum vt omnino verbum effutiret. Indigna-
 tus Cubo, non eum sola infamia, quam
 victus sibi sectæque suæ ferebat, contentus;
 sed in frequentissima nobilissimaque concio-
 ne, eum sacrificuli vestibibus symbolicis exuit,
 vnâ cum socijs, qui eum fuerant comitati.
 quod dum fieret, & verbis contumeliosis,
 & pugnis onerati sunt: Deinde vincula il-
 lis alijsque vndecim socijs iniecta, nam cete-
 ros ministrorum indulgentia, elabi permisit.
 Eos in hunc modum vinctos tota vrbe Yen-
 do ad contumeliæ pompam iubet circumduci;

ncc

nec ea in vrbe finis ignominia, nam per caeteras etiam tota Iaponia celeberrimas, in quibus sectae suae declamator multa in Amidam ac Imperatoris filium oblatrarat, mutus rabula cum socijs circumtrahitur. Deinde ad claudendam in hoc gyro infamiam, Miacum reuehuntur omnes, & plaustris impositi non spectaculo solum sed etiam pena mulctandi tota vrbe deuehuntur. Demum certo in loco Xacæ Oratori aures ac nares, socijs reliquis nares duntaxat truncantur. Hac ignominia notati huius sectae cænobitæ, qui Miaci degebant, magno numero viginti & supra, cænobijs distributi, plerique dilapsi se suaque multi latebris credita eripuerunt furor: ea denique faciebant, quæ aduersarijs risum, suis etiam offensionem excitarunt, nec desuere qui dicerent, se nunc demum Christianæ crucis arcum assecutos, cuius beneficio in aduersis constituti, & constarent sibi, & præ hilaritate gestirent: sacrificulos vero suos huius ignaros mysterij quolibet casu abijci ac tristitia confici.

Non hæc ad solos Xacæ ministellos ignominia peruenit: forte eo ipso tempore aderat Canzuiedono Dynasta, aut potius Tyrannus Regni Fingo, Christiani iam sanguinis aliquoties profusor, is quoniam Xacæ sectam profitebatur, mirum quantum hoc euentu fuerit perturbatus, & vt aliquis iniuriæ finis esset, vtque Xacam cum Amida vtriusque inquam inter se sectatores

ctatores conciliaret, totis viribus contendit, & impetrauit tandem, sed ita iniquis legibus, vt hæc fortasse contumelia cæteras superarit, quod non ab alio inflicta, sed à seipsis ad mali remedium suscepta dici posse videretur. Nam Chi- rographo totius ordinis sui publico sanxerunt, commentitiam fuisse ordinis sui fundatorem illum suum qui ad Xacam sanctius colendum, Foquexus ordinem instituerat, cum diceret eos inferis pænis torqueri, qui Amidam coluissent, nec ipsum Xacam quicquam simile vnquam pronunciaffe. Qua denique professione inuitis expressa, controuersia sopita est, vt autem profanis simulacris multum auctoritatis decessit: sic legi Christianæ ex occasione cum his sectis comparatæ non parum accessit.

Fuit & hoc quod sequitur Neophytis permouendis idoneum. Vir Nobilissimus, filius Gubernatoris Miacensis de cuius olim, cum iuuenis esset pietate non raro huius Ecclesiæ annales multa prædicarunt: verum idem demortuo iam Parente, vnâ cum opibus honoribusque pietatem exiit: ita enim viuebat aliquot iam annos, vt tametsi fidem sæpe sollicitatus nunquam eiuravit, tamen Christianæ legi dedecori esset, vitijs omnibus, abiecto pudore fræna laxans: ad hunc vsq; annum quo sibi redditus, ac Deo postquam vexatio dedisset intellectum. delatus igitur ad Imperatorem ab famulo, quod Christianus

nus

nus esset perditæque viueret, eam accusationem ita tulit impotenter, vt famulum non satis sibi consulentem, iusserit obtruncari. cum autem facilè colligeret hoc sibi impune non abiturū, bonorum iacturæ quam præfagiebat metu deterritus (quæ enim amamus feruidè, ea ægre dimittimus) in amentiam incidit, & è patria profugus vagari cepit, amentia suæ vestigia quaquaersus, non sine vitæ sæpe discrimine relinquens. in hoc rerum statu, vt ferè fit, à suis omnibus desertus, tametsi prius comitatu progrediretur numerofo ac splendido. Harum rerum fama Imperator, qui nihil dum mouerat, statuit à regni portione, quam regendam à parente acceperat, ineptum abdicare, & omni dignitate fortunisque in scelerum pœnam priuare. Interim nostri vagum in domum suam receperunt, sanisque consilijs & adhibita cura mentem illi bis restituerunt. nam excussa amentia sibi redditus inspexit sese, & repetitâ, à multorum annorum memoria, vitæ solutioris laxitate, magno pœnitentis animi sensu peccata expiauit, & ijs exutus, quorum pondere in vitiis profundum pene deuenerat, nunc liberior, ad melioris spem hæreditatis aspirat.

Ex hoc domicilio variæ sunt excursiones, institutæ. primæ fuit in regna Mino & Oari, cui excursioni causam dedit Cubo Imperatoris aduentus, qui eo filium, illius regni hæreditatem
aditu-

aditum adduxerat nam noster sacerdos, & ad eum visitandum præter spem admissus fuit, cum eo tempore vix alios Imperator admitteret. visitatus etiam est summus eorundem regnorum Gubernator, qui habetur pro filij Imperatoris moderatore, ac velut Parente, qui excipiens nostrum inusitata beneuolentia, aiebat se multa de sanctissima lege nostra audijisse, eiusque sibi capita opinione meliora, placuisse, liberam igitur se illis regnis euulgandi facere facultatem, offerreque aream aliam, si fortasse illa vbi nunc ædes sita est, minus probaretur. His officijs expletis Neophyros indigenas, quorum maximè causa venerat, suscepit excolendos, nam varijs locis sparsos intrinsecus ea perfecit, quæ ne sæpius commemorentur placuit prætermitti.

Alia excursio facta est in regnum Xango, postulante Nobilissima matrona, Maria parente illius regni, aliorumque Dynastæ quæ talis est vt è Nobilissimis pene totius Iaponiæ Matronis habeatur. ibi quoque consueta Missionum officia pari semper industria fructuque peracta, sed id singulare, quod illius filia & Nepos cum plerisque pedissequis in eandem fidem conspirarunt, itaque nunc simul viuunt, vt de pietatis laude dumtaxat vna videatur esse contentio. Excurrit alias etiam in regnū Micauà, postulante viro Nobili, qui ab amico Neophyto, permou-

permotus ad Christi gregem aspirabat, sed cum senectute præpeditus Miacum venire prohiberetur, institit, uti ad se imbuendum & sacris a- quis expiandum vnus aliquis mitteretur. Vnius conuersio saluti plurimis fuit: nam præter eum adulti duo supra quadraginta, boni senis aucto- ritatem sequuti, nouam ibi Ecclesiam inchoa- runt. ea etiam occasione Neophyti in Regno Tamba, & veteres illi in montibus constituti, exculti sunt, qui omnes annuis his subsidijs, accipiunt à Pastoribus annum fidei pietatisque com meatum.

1610. Ita serres Miaci anno huius triennij primo habuerunt. ad reliquum tempus, omis- sis toto triennio communibus, conuertamur. Ac inprimis æquè fortasse permoti sunt Neo- phyti atque Ethnici funebri duorum Nobilium Neophytorum pompa, apud nos instituta. stu- pebant ordinem, modestiam, grauitatem, ritum ac ministrorum: admirabantur tam appositam temporis orationem; Neophytorum concursum obstupescabant. hæc quid sibi vellent omnia propè continuo sciscitabantur. Denique visa auditaque cuncta cum suorum sacrificulorum sordibus ita comparabant, ut assererent nullo modo posse comparari. Nihil tamen adeò stu- puere Ethnici defunctorum vitâ propinqui, quam cum ad extremum viderunt, quæ in pau- peres

peres eroganda demortui iussissent, cū fide summa distribui, quod eorum ministellis est inusitatum. ex ijs quorum funus curauimus alter, cū nostram egestatem non nesciret, ad eam subleuandam supra trecentos aureos eleemosynæ nomine nobis legauit. Ex ijs qui Christum agnouerunt, vnus fuit, è Tencadono viri Nobilissimi familia puer honorarius, & ipse viri primarij atque copiosi filius, qui ab ipsa Horunga vrbe Regia huc venit, quinque dierum itinere, prætexens morbum, reuera autem vt Christianæ fidei mysterijs imbueretur: & quoniam ex eo erat genere, vt videretur rerum nostrarum audiendarum inutili cupiditate potius moueri, quàm certam ad fidem suscipiendā adferre voluntatem, dies aliquot ab audiendis, quæ volebat repellēbatur. Sed cū acrius instaret, asserens hac se vna causa permotum hoc iter suscepisse, admissus est denique cum famulis, ad audiendas Catechismi prælectiones; audita cū placuissent, Ipse ac famuli magna omnium voluntate Christo renati sunt in Baptismo.

In Regno Micaua degebat medicus quidam insignis Neophytus, & ex antiquioribus, hoc auctore nonnullos baptismum recepisse inaudit loci Dominus Ethnicus, & in recens baptizatos (sed maximè in auctorem facti) impotentius excandnit. Eos igitur vt ad defectionem perduceret, intellexit ab ipso, qui medicam

P

facti-

facitabat artem sibi inchoandum, cui sollicitando varios nuncios mittit, qui urbanè & propofitis æquiffimis legibus, eum ad deficiendum fuo nomine prouocarent: cùm omnia respueret, eò peruenit, vt rogaret fidem quidem animo, fi vellet, retineret, fed vnico verbulo præ fe ferret, veluti faceret imperata: Id fincerus Dei feruus, pro pari scelere exhorrefcens, In hæc fere verba refpondet: fe quod rogaretur nec poffe nec velle facere, idque ita vt in hac caufa vitam ponere nihil dubitaret, ne fe tanto in Deum & conditorem fuum crimine contaminaret. monuerant amici, fi ita refponderet, mortem fibi certam accerfere: fed nec ideo refponfum vlla ex parte mitigauit: quod Tyrannus audiens ab inferenda quidem morte fe continuit, fed profcriptionem bonorum & exilium tam concitate in eum ac vniuerfam familiam pronūciari iuffit, vt nihil ad conuafandam efferendamque fupellectilem, ipfaque medicæ artis inftrumenta, temporis concefferit. venit igitur Miacum fortis pro Chrifto Athleta cum vniuerfa familia, fatis fibi diues vifus, quod ex hoc fortunarum naufragio cum fidei thefauro enatasset: tamen fi afferebat, fe ditiozem omnino futurum, fi, quod optabat, ac fperabat, vitam in hac caufa poffiffet.

1611. Anni millefimi feccentefimi vndecimi,

mi, res gestæ, peculiari huius domicilij commentario comprehensæ, annalium scriptori defuerunt, ex priuatorum tamen litteris collecta pauca inferentur. Ex aduentu igitur Imperatoris Cubo Miacum, factum est, ut è variis regnis quàm plurimi Neophyti primores huc conuenerint, ij commodum tempus nacti, peccata sua, quod aliqui iam diu non fecerant, expiabant: alij quod ex longo Ethnicorum commertio in obliuionem Rei Christianæ incidissent, Ecclesiæ se reddebant: alij Sacramentis & salutaribus Consilijs in officio confirmabantur, atque ita meliores atque fortiores ad suos remearunt. Nec pauci fuere, qui ab amicis persuasi, ad audiendas lege Christianæ prælectiones aduenere, & legem quam comprobauerant, suscepere. Ethnici Dynastæ complures ædem sacram & priuatam inuisere, & ex ijs quæ vel viderant vel audierant, tantam rerum nostrarum opinionem conceperunt, ut redierint ad suos, in legem nostram propensi, pollicerenturque se eam fauore suo prosequuturos, quin etiam nonnulli nos, in suas terras inuitabant. Ex ijs fuit Miacensis Emporij Gubernator, vir vel officij nomine, vel Imperatoris gratia summus, qui infra Octauam Paschæ in ædem nostram veniens primùm pro tempore inuenit ornatissimam, & quod ad nos alias nunquam diuertisset, non solum mirificè

recreatus est, sed etiam declarauit se iam res nostras habere meliore loco quam prius: aiebat enim nunquam se arbitratum res Nostras ita spectatu dignas, neque ita ad pietatem esse compositas; se in posterum eas pluris aestimaturum. Gauisi sunt Nostri eius aduentu: nam hæc vrbs vniuersa, totius Iaponiæ caput, ab eo pender, & inde nobis multum securitatis, libertatis & auctoritatis accedit.

1609. Altera in hoc emporio nostrorum sedes ab vrbs regione, in qua sita est, Comiguo appellatur, in ea præter consueta domicilijs omnibus Christianæ religionis exercitia, quæ sacerdos vnus cum Socio procurat, non defuere constantis animi in retinenda fide Neophytorum exempla. ex ijs vnus matris continuas præces & cæterorum propinquorum consilia ita reiecit, vt propriam etiam domum, è vico demigrare coactus, reliquerit, ne fidem proderet: sed victor demum suis conciliatus, ad antiqua redijt familiæ commoda, & sartam rectam fidem, inter tot aduersa conseruat. Alius etiam à Parentibus domo eiectus, moderatè tulit orbitatem, nonnullorum etiam salus in extremo vitæ tempore securitatem, vt speratur, inuenit. infans expositus medio in vico expirabat: ex Alumnis nostris vnus eum expresso linteo, quod mactecerat clam omnibus, qui spectabant Ethnicis,

ne impedirentur baptizauit, & inopinantem animulam caelo inuexit. Ethnica mulier per uniuersam vitam, simulacra ita coluerat obstinate, ut filiorum suorum, qui domi nostrae seruebant, & auctoritatem Mariti nunquam admiserit: ea cum ex aegritudine in extremum vitae discrimen adducta esset, ab alio filio suo Neophyto, qui permoneri se ad inuisendam parentem aegritudinis inscius senserat, forte extremis diebus adueniens effecit, ut parens pertinaciam detestata, vitam in morte reperiret.

1610. Tantum his temporibus Neophytorum excreuit multitudo, ut cum iam intra aedis angustias se non caperet, laxanda omnino videretur. Id Neophyti suo sumptu fecere, satis ex nostro infortunio certi, nobis ad eam vires non supertere, quod quidem infortunium sentire omnes, ac si esset proprium, sed longe magis eos pupugit tristis rumor, qui de nostris spargebatur, fore ut moriendum vel rota Iaponia exulandum nostris esset, eo igitur tempore frequetes in aedem fiebant concursus, etiam eorum, qui aliam erant in ea petenda infrequentiores, quare amorem in nos suum ac mœrorem demonstrabant, multis eo tempore Martyrij spes affulsisse videbatur. ergo serio se ad mortem cum nostris unam optendam comparabant: Verum cum is rumor seipsum dissipasset, de renui-

rate nostra subleuanda cogitarunt, idque fecerunt de sua pro virili refecantes.

De Nostrorum Sede in Vrbe

Fuximi.

CAPVT XVII.

IN hac Sede Sacerdos vnus cum Socio & Alumno Catechista hoc triennio toto confedit, ab his res Christiana solito more procurata. Neophytos excoluit, Ethnicosq; ad Christi gregem pellexit. è quibus toto hoc triennio quadringenti ac viginti superioribus Neophytis accesserunt. nec fuit satis huic nostrorum paucitati vrbanam rem curare, etiam alio excurrit industria. nam ex hac Sede in Regiam Imperatoris vrbem, Surunga dicitur, ad interuisendos excolendasq; Neophytos sacerdos noster excurrit, idque solito semper fructu animorumq; prauentu: nec ille solum eam rem egit, sed Alumnus quoq; Catechista vicem egregie suppluit, & prima quidem excursionione supra numeratos octoginta adulti, posteriore vero plures quadraginta in fidei obsequium transierunt. Nec nihil egit etiam sacerdos alius è nostris, eo negotiorum causa missus, qui quantum temporis negotijs subtrahere poterat, otio tantum impendebat Christiano: in Regnum quoq; Michaua duo diuersis temporibus, sacerdotes excurrere, eodẽ semper fructu ex laboribus comparato.

Sed

1609. Sed operæ pretium erit peculiaria pauca seligere. Ethnici duo cum Neophyto vno eadem in Silva laborabant, cum subito vehemens venti vis ingruit, quæ omnes metu correptos propè obstupefacit: Neophytus se colligens præcatorios globulos arripit, qui tamen sæpe diffracti plures tribus non erant, sed vna cum effigie pensili: ecce tibi repente maligni spiritus sese clarè videndos omnibus offerunt: & verumque Ethnicum per aera raptum eo asportant, vnde nunquam rediere: Solus Neophytus illæsus ab ijs dimissus est. Id Ethnicus nescio quis audiuit, & euentu formidabili territus, sub Christi se tutela relicta dæmonum tyrannide, liberauit.

Infantulus biennium non amplius natus graui morbo afflictus cum ad extrema deuenisset infantiliter collacrymari cæpit: Mater varijs artibus, & rebus in manus datis, vt fit, puerum à fetu reuocare nitèbatur, sed frustra. nam ille acrius semper, acriusque eiulabat. Aderat Neophytus fortasse, is eductam collo pensilem piacularis agni thecam puero obtulit: qua accepta mox conquieuit, sed (res mira) sacrum signum, ac si infantulus agnosceret, capiti venerabundus imponit, in eoque ipso Religionis actu expirauit, non sine astantium magna admiratione.

Ethnici quidam cum Christiano milite colloquebantur: vnus ex alio sermo adduxit Ethnicos, vt narrarent, nescio quo in Idolorum fano si quis fortasse ad ea veneranda ingrederetur, sub pedibus ita tremere ac nutare pauimentum, vt nemo intus remanere auderet: Hoc illi inter prodigia numerabant: Miles vero pernegabat: id esse sine dubio fraudem, aut perturbati cerebri delirium. Ibo, (inquit ille) templum ingrediar, & vobis spectantibus ostendam illius nufquam nutare pauimentum: iuit, egressus est securissimus, in eoque non semel obambulauit ad stuporem ipsorum Ethnicorum, è quibus nonnulli fraude prodigijque falsitate comperta, ad fidei Christianæ veritatem confugerunt.

I 6 I I. Vltimo huius anni curriculo, qui hic agit sacerdos, excurrit in Regnum Cozzuque, quod est vnum ex ijs, quæ Quanto appellantur, visitaturus & expiaturus Arimensis Dynastæ filium ibidem coniugio illigatum, vna cum vniuersa familia, quam habet ille Christianam. Vtilior fuit hæc excursio ex eo, quod ex itinere quoque variorum regnorum Neophytos interuifit: ea sunt Minò Voarij Ixè, Michauà, Muta-xi & Surunga: in his enim omnibus Christianos numeramus, sed in aula maxime Imperatoris, & in vrbe Yendo, quæ sedes est Imperatoris primogeniti, ac hæredis. Surungæ diutius quam a-

libi

libi substitit, quod ibi sit maior Neophytorum copia: vnde spes erat copiosioris messis colligenda. In hac excursionem ducenti supra mille Neophyti expiati: Ex Ethnicis verò ducenti & septuaginta: ijque fere in vrbe Regia omnes baptizati. Horum Neophytorum tantum erat res diuinas audiendi desiderium, vt nec horis diurnis neq; nocturnis à Patris ædibus digrederentur, nisi forte ad amicos suos ac propinquos ad Catechisticas prælectiones adducendos: Itaque tantus erat fidei capita audire volentium concursus, vt Catechistæ duo continua sermocinatione vix audientium vota explerent. Inde igitur cum hac fruge, in sedem suam redit, comitantibus Neophytis complurimis viris, feminis, pueris, ad duas fere leucas, obtestantibus, vt quam primum rediret, Sedem in ea vrbe positurus, quam ad rem sumptum omnem offerebant: eumque hodie largiuntur voti compotes facti, sed breue gaudium fuit, nam anno insequenti orta tempestas rem bene captam disturbauit.

In hac tamen Sede, ne sola externa persequamur, insignis fuit nobilissimæ matronæ ad Deum conuersio. Ea erat Dynastæ primarij mater, eademque simulacrorum cultui eximie dedita, quibus etiam fana duo extruxerat. Hæc die quadam ædem nostram ingressa, inspecta Christi Seruatoris imagine, quæ in ara erat, obstupuit;

P s

vt

vel specie capta, vel maiestate: nec ibi substitit
 mox etiam cupido eam inuasit, quærendi cui-
 us hæc esset effigies, & quorsum eo cultu pin-
 geretur. quærit igitur, vtrum in ea domo dege-
 rent Sacerdotes Australes, (ita enim Ethnici no-
 stros vocant, ex eo quod à meridie in Iaponiam
 aduentarint) accersitus noster post varia, ei di-
 xit, oportunum sibi videri, cum in ædem no-
 stram venisset, aliquid de lege nostra audire:
 nec abnuit: ergo prima concione Iaponienses il-
 li sectæ confutatæ: & sacrificulorum fraude
 detectæ: itaque diceffit, vt die insequenti mi-
 nore comitatu velut occultè redierit. Audiuit
 ergo per otium fidei nostræ mysteriæ: quorum
 sanctitate capta, demum Christi sacra suscepit,
 mire læta, reperisse ad salutem viam. postea ex-
 pleri non poterat rebus diuinis audiendis ac po-
 tissimum de cælesti gloria illato sermone de-
 lectabatur: nec tenebat obortas præ gaudio la-
 chrymas, & nunc pergit vt capit Christianam
 exequi pietatem.

Pueri duo honorarij vnus ex Imperatoris
 filijs, annos natus alter vndecim, alter tredecim,
 magnis vterque votis & præcibus baptismum
 tandem impetrarant: sed mox ad deficiendum
 acriter sollicitati sunt: profectionis ætatis puer
 blanditijs ac minis sollicitatoris, qui erat ex au-
 læ primoribus, cessit: alter iunior sibi constitit
 nec vlla arte adduci potuit, vt hanc perfidiam
 admittit.

admitteret. Obstupuere quotquot audierant
 inusitatam in hac ætate animi fortitudinem.
 Non ita multo post, qui defecerat, ægritudine
 graui corripitur, quæ cum ingrauesceret, à so-
 cio monetur, hanc esse pœnam deserti per sum-
 mam iniuriam Numinis: si tamen pœniteret,
 posse à clemente Domino tanti criminis veni-
 am impetrari, tamen si abesset sacerdos, apud
 quem crimen expiaret, vim Dominus pueri
 verbis addidit: nam æger serio culpam agnouit
 & deprecatus est, & inter mortuis identidē vo-
 cibus sacra nomina ingeminans expirauit.

De Sede in vrbe Volaca.

CAPVT XVIII.

HAbuit hæc Sedes, vti superior, sacerdotem
 vnum cum Socio & alijs aliquot rei Chri-
 stianæ administris: par eorum labor, par indu-
 stria, fructus etiam plerisque superior. nam o-
 missis Neophytis, Ethnici in Ecclesiam baptis-
 mo admissi adulti omnes, tuto hoc triennio
 mille centum quadraginta sex fuisse memoran-
 tur. Peculiare est huius domicilij ferè Neo-
 phytorum in leproforum Nosocomio sese
 exercentium institutum, & quidam subin-
 de die quodam ex ijs, quos solemni ieiunio
 adstrinxit Ecclesia, Neophyti leprosos quot-
 quot in vrbe reperiabantur, coegerunt, ijsque
 epulum

epulum præbuerunt, ipsi etiam ministrabant, non sine Ethnicorum stupore, qui ad hoc spectaculum frequentes concurrere, nec illud solum opus probauere omnes, aliqui etiam Christianam fidem, permoti hac legis sanctitate, amplexi sunt. Huius Ecclesiæ status pacatus est ac florens è beneuolentia Findegori Dynastæ, qui filius est Imperatoris demortui, de quo initio plura. Illius ac matris fauor Neophytos in sua pietate liberos esse sinit, & Ethnicos à suscipienda fide non deterret: sed à communibus ad priuata transeamus.

1609. Ex eorum numero, qui Euangelij lucem aspexerunt, octo Toparchæ cuiusdam Ethnici, qui hac in vrbe degit, famuli simul omnes Catechisticas prælectiones ita audierunt, vt quam probarant, amplecterentur veritatem. Res ea non potuit herum diu latere, & quoniam id iniussu suo fecerant, rem tulit immoderatus, ijsque renunciari iussit, vt ex exemplo à proposito resiliant: omnium fuit vna responsio: paratos esse se qualibet alia in re, quæ propriam salutem minimè concerneret, ad amissum parere; quod vero in hoc negotio id facere recusarent, nihil mirum videri debere, vbi maiori Domino sequeretur. Toparcha iuuenis erat animosus, idque responsum præter dignitatem suam fuisse sibi persuasit: ac tametsi penituit certamen ingressum

maluq;

sum

sum, cuius victoria anceps videretur: omnia tamen tentanda esse iudicauit, non consilia, non promissa, non minæ defuerunt, sed hac omnia pari ab omnibus repulsa firmitate. Ergo vt extrema experiretur, renunciari iubet omnibus, esse moriendum, ac simul iubet singulos in singulis recludi seorsim cellulis, & vt terreret magis, ijs inspectantibus, iubet mortis instrumenta apparari: ea erant ad eos findendos Serræ, & ad amputandas ceruices Sicæ, quas acui magno tumultu ac fragore imperauit. His ita comparatis, de loco supplicij ab hero consultatur, hæc omniaquæ in atrio gerebantur, videbant Neophyti atque audiebant: nam herus omnia consultò faciebat, ratus eos præsentium suppliciorum spectaculo posse fortasse acrius quam ipsa morte permoueri. Hactenus æque sibi constiterant omnes paucorum licet dierum Tyrones, verùm in hoc extremo vitæ discrimine, atque vt arbitrabantur periodo, quatuor ex iisdem vitam præsentem dilexere, nam heri iussis obtemperantes, turpiter à Christo defecerunt, cæteri verò eam perfidiam detestati, cæptam constantiam tenuerunt. ea re stupefactus herus, quoniam inuitus ijs carebat, statuit apud sese, non esse hominis suas res prudenter procurantis, similes animos prodigere, quibus eadem esset in herilibus obsequijs tenacitas; quæ fuerat in diuinis, renunciari ergo illis iubet, vt quoniam ijs
sederat

federet animo, Christianam legem etiam se vo-
lente, & animi magnitudinem valde compro-
bante retineret. fuit ea res Vozacæ publica mul-
torumque sermonibus celebrata, plusque Neo-
phyti laudis vel sibi vel Religioni pepererunt,
quam perfidi desertores in retinenda præ lege
Christi vita solatij.

Quo tempore pugiles illi in Religionis a-
rena fortiter decertabant, Neophytus vnus a-
liquis ex ordine militari ad eos adiit, animum
consilij suis additurus, arbitratur enim nul-
lius rei magis quam institutionis alicuius re-
centissimos Tyrones indigos esse. Rebus iam
compositis, cum Toparcha suo hic miles col-
loquebatur, & incidit sermo de octo Neo-
phytis illis: Ethnicus alius qui aderat, quatu-
orillos desertores inculabat quidẽ, quod mor-
tis metu suum abdicassent institutum; simul
tamen multa contumeliosè in Christianam Re-
ligionem est præsentem Neophyto ac Toparcha
debacchatus. Non tulit Religionis iniuriam
Neophytus, sed tametsi non nesciret, herum
suum, pro eo quod erat Ethnicus, à Christi
sacris abhorrere, mira tamen libertate, arden-
ter quæ colebat sacra, tuebatur. Res modeste
primum disceptata, demum abiit in iurgium
quod herus ultra non ferens, ne cum Neophy-
to congredere, in interius cubiculum non
satis dissimulato furore se recepit. Hoc dis-
cessu

cessu dirempta sunt quidem iurgia, sed non sopitus Ethnici antagonista furor: nam duabus tribusue horis elapsis, cum Neophytus è palatio se domum referret, ab Ethnico ex insidijs observatus, intra palatium ipsum primo statim vulnere cervicibus amputatis obtruncatur. Et cum inter vtrumque alia nulla intercessisset, quæ quidem hæcenus sciretur causa, nisi suscepta de Religione contentio, vix dubium etiam videri potest, quin in eiusdem Religionis odium fuerit obtruncatus, & quidem ea de re hæcenus Neophyti dubitarunt, Antistes tamen re maturius excussa, statuet quid sit hac in re sentiendum.

1610. Quod sequitur etiam insigne est in retinenda fide firmitatis exemplum. Miles quidam verè Christianus inter famulos Ethnici cuiusdam nobilis numerabatur. Is erat Christiani nominis hostis acerrimus; inaudiit fortasse asseclam illum suam Christiana, quæ tantopere oderat, sacra suscepisse: cui blandè primum imperat, vt ad Deos patrios reuertatur, cum id minimè cederet, internuncijs vtitur militis necessarijs, qui multis idem suaderent: sed nihil nutauit constans animus, ergo ad minas & vim venit. Herus illi denunciat mortem, nisi imperata faciat, certissime

oppe-

appetendam. Ad hæc Neophytus : itane vero inquit gratius aliquid mihi aut fortunatius accidere unquam poterit, quam si vitam in religionis causa posuero? hoc responso alijsque multis, quæ per internuncios missa remissaque sunt, intellexit herus, nihil sibi ultra expectandum. Ergo sententiam in eum capitis pronunciat. Hilaris nuncio miles in atrium domus supplicio destinatum exiit, verum interim dum omnia parantur, ipseque Deo se commendat enixius, domum ingreditur Ethnicus quidam vir primarius, idemque heri amicus in paucis, qui re audita, maxime auctor fuit, ne se tam insigni milite priuaret, quem non dubitaret talem in herum futurum, qualem se in Deum, quem venerandum susceperat, gereret, acquieuit herus, & morti præsentissimæ ereptus miles doluit se victoria, quam in manibus habebat, excidisse, verum ille meritum ex heroico facinore, quod ita Ethnici stupuerunt, & Neophyti collaudarunt, à Deo promissum reportabit.

Annos natus duodecim puer Neophytus victoria etiam de prælio plusquam puerili reportauit. Is consulto parente Christum agnouerat, que sequebatur, innotuit ea res postmodum parenti, qui ut eum à proposito auerteret, frequenti verberatione ac pugnis multabat. Idem quoque & ludimagister, à quo instituebatur faciebat, sed vtriusque vim fortior utroque ita repellebat, ut quod

quod vellent, minimè impetrarent. tandem fatigati destitit, & puer acceptam fidem, liber Christiana nunc pietate cohonestat.

Ethnicus quodam vtili somnio admonitus in Ecclesiæ castra confugit. illi nepotulus erat Neophytus, quem tenerrime diligebat, is diem suum obiit in ea ætate, per quam cælo excludi non poterat: Eum in somnis patruus videre sibi visus est, ab eoq; deduci in amplissimum palatium, ad cuius valvas cum peruenissent, custodes, admissio nepotulo, patrum excludebant, quod ille ferens egrius, somnum excussit; attentius etiam quod viderat excutens, non malè ratiocinatus, excludi se à palatio, in quod puerulus admitteretur, id esse quod non in eadem esset fidei professione, ergo statuit Christiana sibi sacra omnino suscipienda, quod etiam deinde perfecit.

In Neophytis etiam nonnullis castimonie virtus enituit. ex ijs virgo adhuc tenella nobiliore suo genere animi fortitudinem præ se tulit, ut ab impuro adolescente sollicitata, maluerit non paucis vulneribus in corpore, quam vno in animo confodi. Adolescentis æque Neophyti, non minus spectabilis in hoc genere virtus fuit. Is nulla sua culpa, nescio quo modo, in meretrices incidit, à quibus cum acrius prouocaretur, largitione missionem impetrauit, atque ita instar Iosephi non pallium, sed nummos dimittens euasit.

Fari-

1611. Farima regnum conterminum est Teunocanú regno, in quo est Vozaca: hinc fit, vt eius regni Neophytos Sacerdos, qui Vozacæ residet, excolat, ad eos quotannis semel ac iterum excurrens, non sine ingenti fructu & augmento. nam supra quingentos ibi Neophytos numerabat, eosque ferè nobiles, & ordinis militaris, maximè in eius regni metropoli, cui Funegi nomen est. Dynastæ sedes ea est, qui vnus habetur inter maximos totius Iaponiæ Dynastas. nam præter hoc regnum, regna Bigen & Auagi occupat, & quod maximum est, ipsius Imperatoris Iaponiæ gener est. His annis superioribus Ecclesia hæc ita florebat, vt quoties eo Pater Xacâ excurreret, præter cæteram frugem quinquaginta sexagintaue baptizaret adultos, qui demum ad eum, quem dixi numerum excreuerant. Vidit hoc & inuidit humani generis hostis, in eaque turbas excitauit, ad eam non perturbandam solum, sed penitus euertendam: id in hunc modum contigit. Solent Iaponij sacrificuli quarta luna hebdomadam totam quotidianis sermonibus ad populum iterum, ac tertio habendis collocare: quo tempore frequentiores solito ad audiendum accurrunt. Id faciebat eo tempore nobilis orator è secta Fœquexus, in hac quam dixi metropoli, frequentissima concione. Die quadam in Xacâ, quem

quem ea secta pro deo colit, laudes fusius excurrens, dicebat eum esse, qui solis ac lunæ splendore orbem illustraret vniuersum, qui- que idem sydera condiderit: eius nutu solum, imbribus cæterisq; cæli influxibus irrigari, etiam fructus ac reliqua humanæ vitæ commoda mortalibus elargiri; eum denique esse, cuius numine omnia regerentur, & mirabilia omnia, quæ videmus & experimur, patrarentur. Hæc & alia plura dixerat in hanc sententiam, cum Neophytus, qui fortè curiosior interueniens, ultra se tenere non potuit: Ergo bona oratoris venia palam facultatem sibi fieri rogat, dubij circa audita proponendi. Nec abnuic superciliosus orator, arbitratus nihil admodum afferri posse, quod dicta infirmaret. Ergo Neophytus, quem pro eo, qui erat nondum quisquam agnouerat ita arguit: Nemini dubiam est, ante bis mille quingentos annos Xacam nondum fuisse, qui fieri potest igitur vt solem ac lunam condiderit & mundum vniuersum fecerit? cum satis constet, ante Xacæ tempora solem ac lunam, mundum eundem cum iisdem, quos nunc habet effectibus extitisse, quos Xacæ tribueret. Ad hæc obmutuit Rabula, pudorisque plenus cum aliud nihil haberet, quod diceret, quæsiuit, essetne ipse Christianus? Annuente Neophyto, itane vero? ait ille iam iracundia furens, satis satis te intelligo, satis noui quid moliaris,

Q 2

quæ

quæ cum dixi è loco superiore flabello, quod manu gestabat, Neophyti vultum petiit, in eumque auditores suos incitat, vt malè mulctatum fano eijciant, quod ipso momento perfectum est.

Nec eo contentus ita impotenter tulit iniuriam, tot testibus euulgatam, vt statuerit omnino tentare, possètne Christianum nomen eo in regno extinguere. Ergo velut ingentium criminum reos, quæ malitiosè confinxerat, ad Dynastam detulit ipsemet, cum eius coniuge sectæ suæ deuota: inter cætera dicebat; Christianos ipsi mortem machinari, quod vt facerent, in mediam se audientium concionem clàm ingessisse. Auditis his Dynasta excaudit mirariq; se dixit, nec satis videre, qui vera esse possint, quæ diceret, cum in regno suo nulli essent Christiani. Respondit sacrificulus: latam quidem esse legem, ut in hoc regno, neque tota Iaponia essent, sed eos legum contemptores, & hic & ubique nec paucos reperiri. tum Dynasta: erras inquit, nemo est in regno meo Christianus, quod dicebat ille, ut importuno se delatori subduceret: neque enim ignorabat esse in suis terris Christianos, qui asseclas etiam suos pro Christianis habitos & cognitos annuo prouentu donasset. vrget accusator, esse omnino seque eos nominare posse. Dynasta verò propè coactus, ait: age ergo, nomina quos nosti: & ille subito quatuor

tuor ex ipsius Dynastæ familia ordinis militaris Neophytos nominauit, nec Neophytos solum, sed ipsa Neophytorum capita petijt, id quia Dynastæ palam coram multis dicebatur, nominatis renunciari iubet, vti Christianam fidem, acutum eiurarent. Ex ijs vnus ignauè nimis respondit: se in heri esse potestate, reliqui porro tres ita respondere: se quidem ad omnia paratos, quæ illius obsequium spectarent, sed in hoc salutis negotio, imperata nec facere posse, nec debere. Eo responso admodum offensus, denuo imperat eos acrius ad defectionem perurgeri: ergo mille arietibus rationum, consiliorum, promissorum, ac minarum quatiuntur, verum illi semper constitère diuino fauore confirmati, & ad vnam martyrij palmam obtinendam per eos dies, cum vniuersa familia sese alacriter compararunt. quod vbi sensere astuti persuasores, fraudem nouam instruxerunt. tres hi Neophyti seorsim reclusi, inter se agere minimè sinebantur, ne vires augerent. tunc ex ijs vnus aggrediebantur, nihil esse quod vnus Dynastæ repugnaret, cæteros iam eius imperata fecisse. eadem deinde fraude singulos impetebant, ad quam erat etiam singulorum vna sententia, se de socijs nihil admodum laborare, salutem, cuique esse priuatum bonum, quam ne prodigerent, certum sibi esse in accepta religione permanere. Desperata iam defectione, certior red-

Q 3

dicitur

dicur tyrannus, à quo cum omnes tunc maxime inuicti pugiles mortis sententiam expectarent, exilij acceperunt: nec mora hilari animo patria fortunisque digressi cum vniuersa familia noctu secessere. Hæc tam insignis animi fortitudo Ethnicos in stuporem rapuit: nec defuere ex amicis, qui eorum constantiam collaudarent, & gloriosos athletas ad littus deducerent, iisque de nauigio ac reliquo comœatu prouiderent.

Vix abierant hi Ecclesiæ primipili, cum exiisset in omnes Christianos præscriptionis edictum, quo etiam seuerissimè cauebatur, ne quisquam cuiquam, qui se Christianum profiteretur, ædes daret, commodaret, locaret. hoc edicto coacti complures abiere, ad ducentos fuisse perhibentur, qui varias in partes delapsi, vix sciebant, quò se flecterent, diuinæ se omnes prouidentia credentes, cuius causa triste exilium, fortunarumque iacturam, solitis vitæ commodis præponebant. Pagus est in hoc eodem regno, cui nomen Muro, quinque Leucis à Metropoli, eo in pago 40. eoque plures Neophyti commorantur. Ex ijs aliqui cum ad se persecutionis fama peruenisset, in metropolim martyrij obtinendi causa perrexerant, tamen quod maximè volebant, minimè sunt consecuti, eandem tamen cum urbanis Neophytis fortunam in fidei causa subiere. Nam
 pol

post dies aliquot Tyranni edictum eo in pago euulgatum est, quo Christiani omnes iubebantur Christi fidem eiurare. Eo edicto permoti Neophyti omnes communibus votis, sua sponte nauigia exulaturi comparabant, proras in eas regiones obuertentes, in quibus Christianè uiuerent suo arbitratu. Hanc eorum mentem ad Magistratus edicti executores detulere, & quoniam iam se è mensis lapsus erat, ex quo pagus uniuersus communi arserat incendio, omnesq; in erigendis denuo suis ædibus occuparentur, aduertere cæperunt ex hoc Neophytorum discessu, magnam huic pago imminere vastitatem, quorum ædes nemo susciperet erigendas: ergo renunciari illis iubent, nihil esse quod abire meditentur, licere illis, ut prius, suo arbitratu Christianam religionem exercere: atque ita hi Neophyti conqueuerunt. Sed non diu quietis ijs esse licuit, nam atrocius à propinquis amicisque certamen excitatum est, ij veriti fortasse ne postea sopitus persecutionis ignis denuo excitaretur, inconsultis Neophytis fraudem perniciosissimam adornarunt. nam Chirographum instruunt Neophytorum effictis tam aptè singulorum nominibus, ac sigillis, ut internosci fraus vix posse videretur. Id Chirographum Magistratibus tradunt, penes quos erat edicti exequendi auctoritas. Eo profitebantur, se Christi fidem abdicasse, & cum patrijs dijs in gratiam rediisse.

Q 4

Id

Id ubi rescire Neophyti, aliud contrarium cō-
 scripserunt, & iisdem magistratibus obtule-
 runt, professi adulterinum esse, quod ab amicis
 prius acceperant; hoc se omnes & Christianos
 esse ac fore profiteri, quod si per eos non lice-
 ret abire se vel mori paratos, prout Dynasta sta-
 tuisset. hac tam insigni Neophytorum profes-
 sione desperantes de rei exitu nihil innouarunt,
 Supra diximus huius regni Dynastam, cui no-
 men Yquenda Sanzayemondono, Regnū quo-
 que Byem obtinere. In hoc etiam Neophyti re-
 gno commorantur, & hactenus in accepta fide
 perseverant. Ad eos quoque subinde Sacerdos
 noster excurrit, vtriusque quippe regni fines
 sunt inter se communes. Cum igitur animad-
 uertisset regni Farima Tyrannus, Neophyto-
 rum in oculis suis constantiam, statuit non esse
 sibi Neophytos alibi tentandos, neque suum
 illis edictum voluit edici; solum sollicitari ius-
 sit, celebriores aliquot eo in regno Neophy-
 tos, arbitratus ijs labefactatis, reliquos in suam
 sententiam facile posse reduci. Sed non cessit
 eius pro voto, nam eo, quo superiores, animo
 fortunas & patriam dimiserunt, & in alias re-
 giones abierunt, ne à Christi fide discederent.
 Sed peculiaria quædam, quæ per eos tumultus
 dies contigere, commemoremus.

Supra monuimus è quatuor Neophytis, ac
 primis in hac arena pugilibus, vnum turpiter de-
 fecisse:

fecisse: in cuius obsequio erat alius quidam insigni virtute Neophytus, ei herus fidei defertor mandat, vti sibi precatorios globulos, & cætera pietatis arma traderet: sed reuult Christi seruus, vti prius etiam reuulerat filiulam heri sui Neophytam, in Idolorum fanū parentis defertoris mandato deferre. His minis impotenter accensus stringit ferrum, tantaque vi in Christi pugilem adigit, vt in terram affligerit. Res mira: arbitrabantur cum omnes eo vulnere cõfossus occidisse; min^o tamē opinione fuit, auulsa enim veste, nullum in corpore vulnus deprehensum; quod omnes vt prodigium virtuti fideique Neophyti acceptum retulerunt.

Neophytus quidam, prius Christiana sacra quàm complecteretur, filiam Ethnicam, Ethnico marito collocarat. Is persecutionis tempore nihil dubitauit, sibi sanguinem in Christi causa profundendum. Ergo filiam accersit, & acrius quàm alias vrget, vti iam Christianam fidem amplectatur, vt simul martyrij coronam consequatur. Quid expectas? ea vi suavit, vt quod alias non potuerat, nunc cum importunum videbatur, persuaserit. Ergo baptizata est cum incensis votis vitam in Christi causa prodigendi. Quo tempore diploma in Christianos euulgatum est, Ethnici nonnulli, qui iam ad Christi fidem aspirabant, in publicum prodire, profitentes se quoque esse Christianos, &

Q 5

vna

vna cum illis mori paratos, petebantque, vti de se non secus, ac de reliquis ex Dynastæ voluntate ageretur. Ex ijs vnus Neophytos ipsos confirmabat, dicebatque fortunatos illos esse, & in vero salutis tramite collocatos, & quoniam ipse concionatoris penuria nondum baptizabatur, volebat tamen filiolum suum elui, cuius vitam, si Neophytos vt victimas cadere contigisset, volebat vna cum ijs omnipotenti Deo immolari. compotem hunc voti dominus deinde fecit; nam cum non ita multo post Vozacam petiisset, magna sua voluntate Christo nomen in baptismo dedit.

Vir nobilis Ethnicus filiolum habebat septennem, quam quia cõtigerat inter Christianos educari, sciebat esse & haberi velle Christianam promulgato diplomate, iussit eam parens post hac non esse Christianam, quoniam ita Dynasta imperaret: verum puellula lachrymari cepit, repetit idem parens ac etiam minatur; tum demum illa eiulare cepit exclamans, se omnino esse ac fore Christianam: ac deinde ita profusè lachrymari perrexit, vt alias etiam lacrymas excitarer, ipsa verò sese, infantilibus armis tuita nullū solariū admittebat: ergo omnes infantulā miserati, parentē rogant, vti eam sinat viuere suo arbitratu, dum adolesceret, q̄ parens & precib⁹ & lacrymis dedit, ei que dixit, per se licere illi esse Christianam, qua re extemplo conqueuit.

Eque

Eam rem qui aderant superiori cuidam virtuti, non puellæ, quam per ætatem satis constabat de re Christiana pauca inaudisse, tribuebant.

Mulier ethnica Neophyti coniux è diuturna ægritudine, cuius in arte medica nullum erat præsidium, eo iam deuenerat, vt totum vnum diem, sine voce, sine sensu, gelido iam corpulculo transegerit. Iam sindon, iam ad funus cætera cõparata, cum ecce tibi die insequenti, quo momento expirare velle videbatur, vocé extulit ac dixit: Nondum morior, quia nondû baptizata sum: simul impense rogat id fieri quamprimum, urgente ergo necessitate, breuiter edocta de fidei mysterijs, quæ prius accurate audierat, baptizatur. Nec mora cõualuit, nullo alio adhibito pharmacæo, quàm q̄ ab aquis salutaribus acceperat, q̄ omnes qui aderant agnouerunt.

Huic in Neophytos procellæ finem imponã, vbi narrauero quid accusatori sacrificulo contigerit. Euulgato iam edicto, Dynasta factum ipse suum damnare cepit, neq; suo tantum, sed multorum & maximè primorũ iudicio idẽo imprudens habitum, quod ipse tot clientibus ac ita fideis, hoc nomine solo, se priuasset, quod religionem colerent Christianam: Tota itaq; facti inuidia recidit in authorem: ergo impolsterũ parum læto excipiebatur vultu, & demũ heri gratia excidit procerumque beneuolentia; vulgo enim pacis quietisque publicæ perturbator habebat.

habebatur, cuius vnus maleficio tot infontes
ijque viri nobiles domini sui gratia, patria for-
runisque caruerant. Ergo non ferens ignomi-
niam, qui alios proscripserat, iusto Dei iudicio
seipse proscribit, toto regno abscedens. Ipsa Dy-
nastæ coniux prius ab eius secta defecerat, seque
ad aliam ipsius sacrificuli tædio affecta transtu-
lerat. In ea tamen vrbe regni metropoli com-
plures adhuc remansere Neophyti, qui vel
quod essent obscuriores, vel priuatis heris fa-
mularentur, iussi non sunt exulare. Ergo paula-
tim rei acerbitas est mitigata, qua ex causa suum
nunc nullo prohibente retinent institutum;
quod vt constantius faciant, duo ex toto nu-
mero lecti sunt, velut capita cæterorum rei que
Christianæ præfecti: horum munus est cæus
statis diebus cogere, libros aliquos pios præle-
gere, de rebus diuinis miscere sermonem. Post
has quoque turbas bis à nostro sacerdote, sed
clam, sunt visitati, ab eo que confirmati.

*De Sociorum Domiclio in vrbe
Saciij.*

CAPVT XIX.

IN hoc celeberrimo Iaponiæ totius emporio
sacerdos vnus cum socio, & alumno catechi-
sta rem Christianam strenue procurauit, Que
circa Neophytos contigerunt, vfitata fuerunt,
præ-

præterquam quod 40. horarum orationem, qua in rebus afflictis diuinam placarent iram, sæpius repetierunt. Ethnici hoc triennio supra quadringentos excreuere ad Neophytorum numerum ampliandum: Et quamuis huiusce domiciliij res gestæ aliquando defuerunt, ex ijs tamen quæ scribuntur illustriora pauca seligemus.

1609. Neophytus quidam in pago degit quarto ab vrbe lapide: is locus habet sacrificulū pro moderatore ac domino, & quoniam cupiebat Neophytus familiam vniuersam Christo aggregare, sacerdotem nostrum domum euocauerat: rescuit hoc nobilis sacrificulus, & renunciari clienti suo iubet, se illi domum fortunæque ereprurum, si sacerdotem nostrum excepisset ad familiam externis sacris imbuendā: verum Neophytus ita respondit: In hac se causa non solum domum fortunæque, sed vitam ipsam non ægre positurum, nec cuiquam pariturum, qui salutis suæ pugnancia præcepisset, fregit constans responsum inanes sacrificuli minas, accersitus est noster, familiam imbuuit, eluitque, nec ad hæc sacrificulus mussitauit.

1610. Alius quoque Neophytus vitam corporis Ethnico dedit, & vt idem animo viueret procurauit: is è ponte in flumen lapsus & sarcinis obrutus, & vi fluminis absorptus mergebatur:

batur: aderat forte Neophytus, & in flumen defilit, hominem & sarcinas in sicco locat, inde in vicinum diuersorium abducit, & curam ipsius agit. Redijt ad se tandem semiaminis, & liberatorem suum agnoscens, recepit se eam legem suscepturum, quæ tantam in mortales charitatem doceret. Idem iudicium fuit cæterorum, qui ad spectaculum conuenere, à quibus ex insigni facto multis est Christi fides collaudata.

Mulier quædam Christiana, nescio quo modo in seruitutem heri Ethnici deuenerat. Is lucrum ex ea facturum, ad turpem quæstum miseram exponebat. Verùm ea obfirmatè renuit, nec ad eam flectendam verba, nec verbera profecere, & cum tandem videret nullum ad scelus incitandi, nullum torquendi finem fieri, salutari fuga pudorem suum ac vitam in tuto collocauit. Alius Neophytus animi simul, & corporis salutem eodem propè momento peccata expians, consecutus est: nam repente à peccatis absolutus, ægritudinē ipso momento depulit: stupente ad rei nouitatē medico, qui eum curabat, siquidem pulsam venarū explorans inuenit, quam panitens prædicabat sanitatem. Ergo quotquot præsentibus aderant, in sacramenti vim, repentinam ægri salutem, vt par erat, retulere.

Adolescens Christianus in grauem morbum inciderat; eum vt parentes curarent, non hu-

mani

mana minus remedia, quàm humanis rebus superiora, sed Ethnico ritu, adhibebant: ibi enim Amidae etiam tum deuoti, ad filij salutem, ab eo impetrandam decies millies hæc verba super eo recitant. Nomu Aminabud (quam orandi formulam Iodoxus sectarij Amidae vsurpant) inde filium vt erat è lectulo ægrum educunt reclamantem quidem, & quantam per vires poterat, renitentem, e ductum extra limen, in publico solo exponunt, vt ex eiusdem sectæ ritu eandem formulam vsurparet; parentibus hortantibus, id vt faciat, æger pro Amida, salutaris IESU ac MARIE nomina sanctissima inuocauit; non sine parentum mærore, qui ægritudinem minime depulsam ipsius ægri vitio credebant. ergo in lectulo eum reponunt, & eundem ritum ex integro repetentes, dictâ precandi formulam, vt prius supersticiosè decurrunt, & omnia faciunt, quæ prius fecerant. Aeger à parentibus rogatur, vt nunc saltem salutis suæ curam gerat: sed is eadem quæ prius nomina inuocauit. Ergo parentes nullam in hoc ritu spem ultra reponentes, medicum euocant, sed prius monent, vt ægro persuadeat, si quâ pharmacis salutem speret, Amidam prius inuocet, alioquin rem esse cõclamatam. Sensit fraudem Neophytus: ergo vires colligens, ostendit, Amidam nec mortalibus salutem, nec aliud vllum beneficium præstare posse, & simul parètes rogat,

vti

vti super hac re nihil vltra sibi molestia facerent, nec medicum inducant, qui has ineptias persuadere conetur, si salutem filij velint, communibus pharmacis vtantur, si Deo cordi fuerit profuturis. malle se mori Christianum, quam ab Amida salutem, etsi posset, impetrare, illi se ita facturos, ne vltra molesti essent, recepere, & breui vulgaribus pharmacis vsus salutem corporis inuenit, animi quoq; salute conseruata.

Fortius etiam iuuenis depugnauit, qui parente inconsulto, quem Christianis sacris nouerat aduersari, eadem susceperat: tulit hoc ille permolestè, & acriter increpitum, quã suasionibus, quã minis, ad defectionem incitabat: Sed cum nihil efficeret, in furorem actus, iam non parens, sed Tyrannus accepto pugione, tribus cum vulneribus confodit, sed neque saucium euicit; nam etiam mortem, quam præstolabatur, inferri sibi fidei causa gestiebat. Alium quoque Neophytum germanus Echnicus, cum neque consilijs, neque precibus auerteret; conatus est etiam largitione, fortiore sæpe telo superare: sed qui precariam fidem non habuerat, non habuit etiam venalem.

Euocatus est Sacerdos noster aliquot leucarum itinere ad agram peccatis expiandam, expiata est, pari vtriusq; gaudio, nam tum prodere cepit, quãvim in eius animo gratia impressisset,

si quis

siquidem se ipsam ad aliam vitam, quæ imminebat comparans, filios suos Christi sacris initiatos omnes accersuit, à minore quinquenni sumens initium, instar alterius Tobia Domini timorem puero commendauit, & vt eius legem ad extremum vsque spiritum retineret, imperauit: puerulus (Ludouico nomen erat) ita respondit: se si ea faceret, quæ mater commendabat in paradysum cõscensurum: deinde secundum ac tertium filios monuit eo sensu ac energia, vt quotquot eam viderent, mirarentur, vires illi eo in articulo sufficere. postea quam filios salutaribus hisce consilijs erudiuit, eadem vniuersæ familiæ, quæ quinque supra viginti Neophytos complectebatur Christianos omnes inculcauit, & inter hæc ad cæli gaudia, vt sperare par est, euolauit.

Huius sedis Neophyti, vt initio dixi, orationi, quæ ad quadraginta horas de more protenditur, magnopere addicti sunt. Nauigabant aliqui diuturnaq: malacia vexabantur, hanc igitur orationem inter se distributis horis instituunt, ventosq; prosperos è Domini thesauris euocant, qui cum deinde iterum siluissent, vrgentibus Ethnicis, qui vna nauigabant, vt eundem orandi modum, quem profuisse viderant, de nouo vsurparent; rursus fauentes ventos inportum vsque breui nauigatione impetrarunt. Ex hac nostrarum sede in Tagima regnum, quo

R hæctenus

hactenus è societate nostra nemo penetrarat, excursio est instituta; ibi Neophyta mulier, quæ Sacerdotem nostrum ægra euocauerat, cum Neophytis aliquot viuit, hinc captata occasione, quibusdam volentibus summa fidei nostræ capita declarantur. Ex ijs vnus totam noctem indifferendo contriuit: erat enim Iaponensium sectarum non imperitus, cessit tamen veritati, Baptismum petijt, & impetrauit. Alius qui ad verba obsurduit, conspecto funeris Christiano more instituti apparatu, quod funus filio Neophyto parabatur, manus dedit, atque vt ita moreretur, similem cum Neophyto viuendi rationem elegit.

De nostrorum Domicilio in Regnis Focoqui.

CAPVT XX.

CAnazaues, quæ Metropolis est regni Canghà, vnus è tribus, quæ vno nomine Focoqui appellantur, ac si dicas regna Borealia, consedit è nostris Sacerdos vnus cum socio adiutore & alumno Catechista. His regnis imperat Figendono, sed hæc nostrorum sedes in vmbra Iusti antiquioris illius Neophyti delitescit, qui etiam nunc viuit, & Christianam fidem sua vel authoritate, vel exemplo sustentat. accesserunt ad Ecclesiæ gremium adulti hoc triennio quingenti

genti quinquaginta quinque. Neophyti solitos dedere fructus, quos si taceo, non ideo prætermisissos volo, sed ad priuata non nulla, è quibus vniuersa facile colliges, me recipio.

1609. Neophyta maritum habebat solo nomine Christianum, is in hoc regno, sub Dynasta merebat, & vt licentius viueret, vxorem in patria reliquerat, ad eam vitæ solutioris mariti fama peruenerat, & vt aiebat, verita, ne vitæ libertas fidei iugum excuteret, quod satis procliuè esse solet, ad maritum venit, nihil tale suspicantem, & quoniam piæ mulieris virtus, erat illi sudes in oculo, & salutaria consilia ne in aurem quidem admitteret, statuit monitricem ita vexare, donec de repetenda patria consilium caperet: verum illam non iniuriæ, non pellicum consortia, non mariti verbera concusserunt, aiebat enim: sperare se patientiæ suæ fructum, mariti sese colligentis emendatione relaturam: neque abire se velle, ne resipiscenti aliquando deesset.

Quod sequitur religiosam Neophyti Ecclesiasticorum præceptorum obseruationem arguit; Neophytorum par in hoc ipso regno degit eo loci, vbi neque sacerdos noster, neque sacraædes, aut alij Neophyti commorantur: horum neuter legendi scribendiue peritus est,

& ne quid forte in festiuitatum celebratione, ac ieiuniorum obseruatione peccent, annis singulis aliquoties, alter in vicinum pagum, aliquot Leucas excurrit, & quidem hyberno tempore torrentibus niuibuscq; calcatis: ibi Neophytum conuenit, qui Ecclesiasticos fastos Miaco quotannis aduectos habet, vnde discit, quid intra tres proximos menses Ecclesiastico de more praescribatur, his expletis redit. atque ita quoties carne vesci interdictum sit, quoties à cibis abstinendum, quibus diebus & quid celebrandum, occurrat, ediscunt, & hac sua religione sectarios nostrates, si quid haberent pudoris, instruunt, iam inde ab extremo oriente, quanti sint Ecclesiae praecipientis iussa aestimanda: & sanè videri potest impletum Euangelicum illud oraculum: auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.

Puer honorarius nobilis Toparchæ Christi sacra susceperat: post dies à Baptismo paucos, nescio quid è domestica supellectile pretiosi deerat, è gentis more famuli omnes iureiurando adigebantur; vti furtum à se propulsarent. Adulescens in Christi fide rudis quidem, sed accuratus, Religioni sibi duxit etiam Christiano ritu iurare, arbitratus id, nullo euentu Christi lege permitti. Ergo herum deprecatur, vti sibi permittat sacramenti loco digitos duos amputare, hac ratione testatum facturum, nihil sua culpa deside-

desiderari, & iam ferrum strinxerat, nisi herus
inhibuisset, iussissetque præstolari, num res for-
tasse amissa compareret, breui comparuit, &
Neophytus sacramento aut tormento liberatus.
Postmodum re ab ipso sacerdote commemorata,
edoctus est, quibus in euentis licitum sit sal-
ua religione iurare, scelerisque maioris esse se-
ipsum propria manu mutilare, cum illud etiam
in virtute, hoc vero in scelere reponatur.

1610. Iuuenis nobilissimus idemque primo-
genitus ac heres nobilissimi ac copiosissimi in-
ter omnes asseclas Tingendono: quorum reg-
norum Dynasta, tamen coniugem habebat
Christianam, Iusti videlicet filiam, tamē quod
ex eorum esset gener secta, qui omnia in-
morte terminari arbitrantur, Yenxus vocant,
adduci non potuit, vt Catechisticas prælectio-
nes audiret, quare coniux ac socer cum focru
mirè angebantur. Coniux tamen nunquam de
eo ad Christum adiungendo desperavit, frequēs
eam illi ardentissimis precibus à Domino expe-
tens. Tandem vt gratum faceret coniugi, eius-
que parentibus, simul rerum nouarum cupidus,
ad res nostras animum applicuit, venit igitur,
solitos de fidei nostræ veritatis sermones audi-
uit, & quoniam prius pia coniugis vota Deum
propitiarant, ita audiuit, vt alium factum om-
nes repente mirarentur: nam qui salutē nullam,

R 3

&

& præter hanc vitam nihil agnoscebat, veritate & rationum pondere cōuictus, & multo magis diuina luce afflatus, de salute iam sua agebatur, quam cum extra legē nostram nusquam reperiri didicisset, statuit omnino in Baptismo renasci, quod cū eius votum Pater iustis ex causis differret, ita institit, vt impetrarir, clam tamen, ne quid ea res turbaret Ecclesiam. Ergo omnium communi gaudio voti compos factus, spem nobis facit, magnæ messis in his regnis colligendæ.

Admirabilis fuit pueri nouennis ad fidem, vocatio. Is Ethnicis parentibus ortus, in ipsa ægritudine ad cælum potiùs quàm ad Ecclesiam hanc videtur euocatus. In regno Yequigæna res contigit. ex ægritudine puer sensit se mori, ergò à Parentibus obnixè petit, vt se in vicinum pagum ferant, velle se ibi ab Auo Neophyto baptizari, cupere enim se omnibus modis Christianè mori, sin nolent, Auum certè ad se quàm citissimè vocarent. hic pueri Auis erat is, qui eo in pago absente Patre rem curabat Christianam, & si casus ita exigeret, omisis ritibus sacra aqua moribundos eluebat. Pueri parentes Ethnici, filij dissimulabant postulata, donec importunis precibus euicit, vt auus accerferetur, à quo magno vtrimque gaudio baptizatus est. Octiduum Baptismo superstes totum in pijs colloctionibus cum auo consumpsit.

sumpsit, totus in sua salute, quam sperabat, commendanda. Denique ea dixit supra ætatem ac fecit, vt mirum in modũ parentes obstupuerint, & auus tali nepotuli sui morte exultarit.

Alium inuenit modum Diuina sapientia ad Ethnicum grauem in sui Numinis agnitionem vocandum. is habebat filium Neophytum, qui inter medios Ethnicos, & procul ab æde sacra egregie semel arreptum seruauerat institutum, cui cum in gravem morbum incidenti, de vita conservanda spes nulla superesset, ad patrem sibi ad latus astantem, ingentiq; mœrore confectũ nihil est Parens optime, ait, quod de mea morte mœrorem ex reliquorum consuetudine concipias; sic habeto, me Christianum vixisse hactenus, & nunc mori, porro Christianorum mors viuendi est initium. Hanc tu mihi vitam gratulare, mortem me lugeas. Altè in animum parentis hæc verba penetrarunt, & maxime cum filium pacatissime velut obdormientem conspexisset, dum spiritum exhalaret, quam ille quietem ac pacem hactenus in nullius Ethnici morte conspexerat. Narrabat etiam, eo ipso momento quo filius expirabat, cubiculum obscurum repente tanta sibi visum luce perfundi, ut omnẽ eius cubiculi & vicini suppellectilem clarè conspexerint. Quibus omnibus permotus Parens ad Ecclesiam se adjunxit.

Non abſimile fuit, quod ſequitur. In ædibus Ethnicorum parentū maritus Neophytus coniugem ſuam æquè Chriſtianam reliquerat, dum neſcio quo, foras proficiſcitur: interea in lethalem morbum incidit pia mulier, quam omni arte parentes ad turpem defectionem ideo ſollicitabant, quod ei cuperent ſectæ ſuæ ritu, ſi in eandem tranſiſſet, celebre funus procurare. Verum illa Diuino præſidio ſulta reſtitit intrepidè & conſtanter, tametſi adoleſcentula eſſet, & parèribus in delitijs. Optabat illa quidem prius animum peccatis expiare, quam expiraret, ſed ei per Ethnicos parentes non licebat, qui omnem patri ingreſſum interdicebant. Verum cum vocarent ſollicitè mariti propinqui Chriſtiani, ipſis parentibus inuitis ingreſſus eſt Pater, & mulierem à peccatis abſoluit, & ad beneſanctèque moriendum inſtruxit. Hæc Patris ac Neophytorum in filiæ ſalute procuranda obfirmatio parentes ad extremum fregit, admiratos tanta ſe inuicem Neophytorum Charitate completi. Denique filia ſuauiſſimè in Domino obdormiuit, eiusq; mors tanta pace excepta parentes induxit, ne illi iuſta ethnico ritu, quod propinqui omnes volebant, ſed Chriſtiano fieri paterentur. exinde in amicos ex hoſpitibus conuerſi, nullum fidei noſtræ prædicandæ finem faciebant.

Ad Neophytorum in Noto conſtitutos Pater
quor.

quotannis excurrit: qui quoniam sunt Iusti V-
condono clientes. ij iam verius veterani, quàm
Tyrones, annuam Patris visitationem fructu va-
cuam abire non sinunt. Pusillum quoque Neo-
phytorum gregem in regno Yechigem sacer-
dos noster visitauit. ij ex his visitationibus vi-
res sumunt, vt in medio nationis prauæ accep-
tam retineant religionem, & in Religione pie-
tatem: quin etiam crescunt eorum numero, qui
ad priores adiunguntur.

Iusti gener primarius Dynastæ assecla, quem
anno superiore scripsimus clam iustis ex causis
baptizatum, paulatim à domesticis deprehensus
est esse Christianus, proq; eo se hodie palàm ge-
rit, nihil admodum parentes ac propinquos nec
ipsum Dynastam rdformidans. eum, quia nulla
spes est ex sententia deduci posse, ne tentât qui-
dem, sed continent. Priusquam ea res erumpe-
ret, incredibili cupiditate incensus est augustis-
simi missa sacrificij die quadam celebriori au-
diendi; Ergo nullo è famulis conscio, attrita
lacerna induitur & angulum templi occupans,
permixtus vulgo sacris interfuit, sed tamen à fa-
mulo foci sui Iusti Neophyto est deprehensus:
porro cum inter famulos eius Ethnicos ea res
euulgari cæpisset, ad eum tentandum hanc ar-
tem excogitarunt: schedulas nescio quas, certis
characteribus exaratas & ab inpostoribus sacri-
ficulis ad venerationem venditari solitas coram

R s illo

illo statuunt, exploraturi num quem solebat, illis cultum exhiberet. Ipse verò non solum nihil eis venerationis exhibuit, sed etiam indignabundus abiicit, famulos verò acriter increpitos, quod sibi talia obijcerent, etiam aliquot dierum vinculis castigauit.

Alius nobilis adolescens variè tentatus iam annos aliquot in turpi defectioe viuebat, tetigit eum Dominus, eique peccati grauitatem, agnoscendam & detestandam dedit. Ergo facti pœnitens totius vitæ post baptismum actæ, confessionem accuratam, magnoque pœnitentis animi sensu instituit. Inde talis effectus est, vt sit è religiosissimis huius Ecclesiæ Neophytis. Iam annus est ex quo ad nos redijt, & quot mensibus quo die de totius vitæ peccatis confessus est, eodem de quotidianis peccatis accuratè confitetur: eoque potissimum auctore duæ sorores, viris nobilibus ad nuptias collocatæ, in Christi gregem transierunt. Eum Parentes, legi nostræ infensissimi variè deinde, sed frustra tentarunt, eoque acrius, quod is est primogenitus & familiaræ caput, sed ubi se nihil proficere intelligunt, maximè adnituntur, vt fratres eius reliquos à Christi lege suscipienda deterreant, ne desit è sua stirpe, qui paternum funus Ethnico ritu procuret. verum ille tanta valuit industria, vt fratres suos omnes iam Christo adiunxerit, parentes etiam ipsos breui adiungendos sperans.

Idem

Idem viris Nobilibus huius regni notus & carus imprimis, vnde eius hortatu plurimi ad audiendas de fidei rudimentis conciones aduolant ex iisque semper aliqui capiuntur.

Atque hæc maximè sunt, quæ ex superiorum annalibus P. Ioanne Roderico Giram Lusitano, lusitanè conscriptis seligenda iudicavi. propediem, vt spero, anni supra secularem duodecimi annales appellent è Iaponia simul ac Sinis, quos vbi accepero Deo volente mox in lucem dabo; interim tuum erit amice lector arduas has expeditiones, quique eas tractant, serijs precibus Deo commendare, vt omnis lingua confiteatur ei, & eius nominis gloria toto, quod ipse prædixit, orbe dilatetur.



Ad

*Ad superiorem rerum Iaponen-
sium Commentarium*

APPENDIX.

His triennij superioris commentarijs libet
attexere recentissimas è Iaponia litteras,
quibus anni insequentis res geste, duodecimi vi-
delicet supra sexcentimum perstringuntur.
nondum enim confecto anno, & quod inde se-
quitur, nondum scriptis annalibus, mense O-
ctobri soluebat è Iaponia in Macaënsẽ Sinã-
rum portum, prima nauigandi per illa maria
tempestate nauigiũ. Visum est ergo eius Eccle-
siæ Præsuli, & societatis superioribus, res gestas
in compendiũ contrahere, & ad R. P. Nostrum
destinare, si qua sese fortassis occasio in Europa
offerret. Annales interim suo tempori reserua-
runt, qui cum ante vltimum nauigium, quod
anno 1613. in Indiam soluebat mense Februa-
rio, nondum appulisset, Ego qui eo nauigio
vehebar hoc Iaponicorum annalium compen-
dium accepi Romam deferendum, & interim
dum nauigando vacuos dies inueni, è Lusitano
sermone in Latinum quoque transtuli, nihil ve-
ritus futuris annalibus suam nouitatem decer-
pere, satisq; certus, ex hoc summario sitim, non
fastidium, nascituram: nam tametsi res sunt om-
nino luctuosæ, tamen habent, nescio quam, su-
scip

scepti in fidei causa labores suauitatem, & spem certissimæ frugis ex Diuina liberalitate nasci solitam abunde promittunt. binæ erant hæ litteræ, vt modo dixi, sed quia idem ita narrant singulæ, vt peculiaria quædam vicissim omittant ac suppleant, visum est mihi ex vtrisque vnum rei gestæ seriem texere, ne si vtrumq; dederò, fastidium repetendo: sin alterum, desiderium omittendo, vitio meo lector accipias. rei ergo gestæ series summatim descripta sic se habet, quæ necessario altius est paulo repetenda. Annorum superiorum commentarius res in Iaponia gestas continet in mensem Martium anni 1612.

Præsens item narratio res gestas persequitur in Octobrem vsq; anni eiusdem, & quidem res Iaponensis publica nullam sensit mutationem, sed Ecclesiastica res, & quod consequens est nostræ societatis, tantum concussa est, vt alia nulla nec publica magis nec fortasse atrocior tempestas exorta sit, ex quo fides Christiana in has insulas nauigauit. Ea priuato duorum (quod etiam luctuosius est) Neophytorum vitio conflata, in vniuersum deinde corpus penetrauit.

Notior est Ioannes Arimadonus Arimensis Dynasta, annalium Iaponensium lectoribus, quàm vt opus sit eum velle facere notiozem. Is educationis suæ è Christiano instituto peractæ immemor, ditionis suæ fines extendi maximè ambiebat, & quidem regni Fyensis portionem,

maio-

maioribus suis ereptam, Ta cacuano agro Armenique regno rursus adiungere cupiebat. Sub idem ferè tempus, à summo Iaponensis imperij moderatore, proneptis ei offertur, quam primogenito suo Michaeli, vxorem daret. ac tamen si filius iam Christiano ritu coniugem accepisset, apud eum tamen effecit dominandi libido, ne oblatum sibi honorem, & rei bene gerendæ occasionem prætermitteret. Michael igitur Parente nihilo melior, per summum scelus, priori coniugem aliam, verius pellicem super induxit, Et id vterq; egit, vt Patres prius rem factam viderint, quam futuram subodorarentur, quam tamen vt maxime præuidissent impedire minime potuissent, tantum apud homines valet dominandi cupiditas. Hac noua affinitate auctus Ioannes acrius cepit de profertendis regni finibus cogitare, degebat in Imperatoris aula Neophytus quidam Paulus Daifachi nomine, Ioanni peramicus & idem à Secretis erat Cozuquedoni viri nobilissimi penes quem, vt erat imperatori gratiosus in primis, primaria regni negotia sed maxime regnorum distributio pro cuiusque debitis versabatur. hoc maxime adiutore nitebatur Ioannes, ab Imperatore Fyensis regni partem obtinere, eam in rem nulli sumptui parcens, ad profusas largitiones Pauli arbitrio distribuendas, quam plurima donaria submittebat.

Paulus

Paulus vero mala fide negotium, gerens Ioannem in aui spe lactabat, eoque res deuenit, vt ad Ioannem Regij diplomatis exemplum mitteret, quo regni Fyensis, portionem sese impetrasse mentiebatur, nisi fortasse, quod Paulus assererat, impetrarat quidem, sed maleuolorum obtrektionibus Imperator ipse à promisso resilierit, eamque in suspitionem Nangasaquiensis oppidi Gubernator Sasioie dictus, idem & Christiani nominis publice & priuatim Arimensis Dynastæ hostis, à Paulo vocabatur. quam ob causam non inimicitia solùm inter vtrumque capitales erant, sed etiam de Sasioie nece consilia inter Paulum, ac Ioannem secretò miscebantur. Sesquianum iam tenuerat nullo euentu Fyense negotium, ac licet Paulus de tota re minimè desperandum esse scribebat, Ioannes tamen ne tot sumptus nullo fructu fecisse videretur, maxime quod iam res euulgata crederetur; statuit sibi ad urbem regiam proficiscendum, vt rem totam præsens inspiceret, & è proximo procuraret. comitabantur Michael filius, & noua nupta Imperatoris proneptis, eo consilio quod sibi quisque proponebat: Ioannes noster è nuru fauorem sperabat; Michael vero vna cum pelliçe sua alia omnia meditabatur, indigna, non homine solùm Christiano, in proximum, sed

sed etiam filio in parentem. Solent Iapones cum ad senectutem inclinant filijs iam coniugio astrictis regnorum suorum ac ditionum administrationem resignare, & sese in villam aliquam recipere. Eum morem negligebat Ioannes, Michaeli vero potissimum nouæ nuptæ consilij incitato, sera iam videbatur dominandi ætas. ad hæc inter parentem ac filium domesticæ rixæ aliquot intercesserant, quibus animi exasperati fuerant, tamen si alte omnia magna dissimulatione tegebant. Ergo Michael minimè negligendam exturbandi è solio parentis sequè intrudendi occasionem ratus, in aulam cum parente ibat nouæ nuptæ gratiâ innixus.

Vbi in urbem Fuximi peruentum est communis consilio præmissus est Michael cum coniuge, & hæc à parente in mandatis accepit, vt diligenti opera disceret ex Paulo Dayfachi, quid causæ esset, cur Fyense negotium tanto tempore spem falleret; qui si minus appositè responderet, moneretur Cosuquedonus Pauli herus, de tota re & apud eum quæreretur Michael, quàm mala fide Paulus hæctenus rem gessisset, quantas largitiones profudisset, aut ipse deuorasset, simul exemplum ostenderet Regij diplomatis à Paulo sibi pridem transmissum quod fictum esse suspicaretur. fecit Michael quod erat iussus eò accuratius, quod etia ad res suas bene gerendas attinebat Parentem intricare. Paulus igitur
quia

quia causæ suæ diffidebat, nihil est veritus omnia pernegare, ratus fortasse litteras suas excidisse, neque se facile posse conuinci. Itaque Michael Cosuquedonum adit, Paulum accusat, litteras ostendit, Et regij diplomatis exemplum, quo Fyensis regni portionem inipetratam mentiebatur, profert. Is rem, vti sibi nouam, admiratur, Paulum grauitèr incusat, & contra eum opem suam pollicetur. hæctenus ea res aut nemini, aut paucis nota erat, sed imposterum tota aula euulgata est, & facile ad ipsius Imperatoris aures, vel Cosuquedoni opera, vel domesticis proneptis querelis, quæ omnia domi contra socerum miscebat: quæta se ab Arimensi Dynasta socero suo, neq; pro dignitate exceptam, nec postea habitam, maritum suum imperatoria iam affinitate inclitum, præter Iaponia morem etiamnum priuatum degere, parentem verò illius, non solum sua æquo tenacius retinere, sed etiam Fyensis regni partem malis artibus ambire.

Imperatori ea res non ferenda visa est. Paulum igitur comprehendi, & Ioanneti in urbem regiam (Surunga nomen est) extemplo euocari iubet: causæ verò cognitionem supremo Iaponiæ Senatui committit, vbi aduenit Ioannes Paulum acriter accusat, quem multa licet tergiversantem, litteræ signa manus clarissimè conuincerunt. ergo amicitia in odium versa, Paulus quoque Ioannem de varijs insimulat & arcana

S

eius

eius consilia aperit, maximè verò Saffoie necem intentatam, qui tum in aula fortè aderat, & in eo ipso tribunali confidebat. Paulus ergo à iudicibus latro, & dolo malo rem alienam egisse pronunciatus: Ioannes multa perperam egisse est infimulatus; pæna in vtrumque ab Imperatore, Ignis in Paulum, in Ioannem exilij proclamata; Paulus igitur tota vrbe ignominiosissimè circumuectus in destinato supplicij loco, viuus igne lento tostus est; quo in supplicio fortiter se & Christianè gessit. Nam cum ab amico Ethnico suaderetur, vti ventrem sibi ipsi dissecaret, vt ignominiam simul & supplicij atrocitatem declinaret, laudem ex lapponico more, pro morte sibi fortiter illata consecuturus, id omnino facere recusauit, quod Christianis legibus violentas sibi manus inferre vetaretur, se verò supplicij vel ignominiam, vel atrocitatem, velut sceleribus suis debitam minimè refugere, & è diuina manu accipere: quòd responsum stupore amicum affecit, professum veram animi magnitudinem in Christianis institutis reperiri, ad obeundam quoque Christiana cum pietate mortem, non parum adiuuit, quoniam alia subsidia excludebantur, coniugis præsentia, quam etiam Imperator vna cum marito perire iusserat, sed vita demum illi condonata, intercessione pellicis regiae; iussa est tamen tristi
specta-

spectaculo interesse, qua in re Christianæ vir-
ginis animum præ se tulit, & maritohorta-
rix fuit ad mortem Christianè obeundam.

Ad eum modum extinctus est Paulus, nunc
Ioannem in exilium proficiscentem prosequa-
mur. Exutus regno primum eoque donatus
Michael, opera maximè coniugis fuit. Proscri-
ptus autem in regno Caynocuni exulare iussus,
vna cum Iusta coniuge matrona sanctissima &
paucis famulis, abest hoc regnum ab Arimensi
longissimè, à Surunga verò non procul. In hūc
exilij locum se contulit ipso dominicæ resurre-
ctionis die, iusto quidem Dei iudicio, vt ei qui
Ecclesiasticas leges violarat, Ecclesiasticæ quo-
que festiuitates in tristitiam verterentur. Hanc
tamen rerum mutationem forti animo tulit,
professus sceleribus suis debitas pœnas ab of-
fenso Numine reperi. Verùm vt erat animo nõ-
nihil inquieto, & parum aduersæ fortunæ pa-
tiens, cum sensisset hæc sibi à proprio filio in-
fortunia, nurnque simul cum Sasioie hoste suo
capitalissimo coniuratis, esse procuratas, tentare
iam in exilio positus cepit, si qua via se posset e-
ripere, & in pristinum statum restituere. Scri-
bebat frequentes in aulam litteras, ijs destina-
tas, quos gratia sciebat apud Imperatorem,
& apud ceteros auctoritate pollere. Auditum
est hoc ab æmulis quos dixi, cum iam ex aula
digressi

digressi redirent in occidentales Iaponiæ regiones. statuerunt igitur hūc sibi necessario eripiendum metum, virum nouerant facundum esse ac solertem, cumque intelligerent posse fortasse in gradum pristinum reuocari, in aulam tres viros mittunt, qui proscripto mortem machinentur, tanta vis est in regnandi cupiditate, vt ex animis euellat, quod natura mortalibus impressit; ipsi verò in itinere interim substiterunt, dum rei euentum præstolantur. Qui missi fuerant, tum alia multa de Ioanne questi, tum maximè intentatam Sasioje necem clarius explicantes, effecerunt, vt capitis in exilem sententia pronunciaretur, ergo quinto & quadragesimo die postquam in exilium fuerat deportatus, nonis Iunijs capite plectitur. Tristem nuncium Extremumque supplicium, ea animi comparatione scelerumque suorum detestatione ita suscepit, facile, vt ostenderit iratam vindicis manum, multum paterna clementia mitigatam. Neque enim decebat tam indigna Christianæ professionis crimina, impune ad Ecclesiæ Iaponensis exemplum abire; sed neque Diuinam bonitatem decebat eum planè deserere, à quo tot in Christianam legem merita, dum saniori mente esset, profecta sciebantur.

Ex hoc euentu sane tragico, tempestas orta est, cuius causa narratio superior est instituta; quanquam aliunde quoque prouenisse credibile

le est. Nam cum Insularum Philippinarum Prorex Nauarcho cuidam Hispano demandasset, uti plagam Iaponiæ, quæ ad Austrum vergit accuratè describeret; & portus immissa bolide exploraret, idque factum fuisset, etiam cum Imperatoris facultate, tamen ex ijs Hollandis vnus, qui in hoc regno versabatur, eum deinde monuit, eam rem apud Europæos insolitam, belli signum esse, neque tolerari solere, Et hic tam à Principis sui quam Ecclesiæ Catholicæ desertor auxit suspicionem ex eo, quòd Nauarcho perpetuus comes fuerat è D. Francisci familia Religiosus, renouans antiquiorem illam suspicionem anni 1596. in casu non absimili, de quo iam P. V. scriptum fuisse meminimus. Ea igitur littoris lustratio in regno Yendo maximè facta est, quo in regno totius Iaponiæ futurus heres sedem figit, vnde non ille minus, quàm eius parens rem grauatè tulisse scribuntur, & sanè prius, quàm in aula Surungana, controuersia illa inter Paulum ac Ioannem euulgaretur, à Principe publicatum fuerat edictum (non sine parentis auctoritate) ne illo in regno nobilis quispiam Christiana sacra susciperet, grauibus poenis illi præpositis, qui mandatum neglexisset. Quin etiam prius in eius aula, de Christianis omnibus extinguendis inita consilia ferebantur. Verùm nec edictum nec alia consilia ad id temporis vllum effectum sortiebantur.

S ; Quæcuno

Quæcunque verò tandem fuerit persecutio-
nis causa, vtramque fuisse nihil dubium est, e-
go narrationem pergo prosequi, & primum
quid Imperator, deinde quid reliqui reguli, ad
extremum quid Michael in religionem Chri-
stianam mouerit commemorabo. Ex infausta
litis eueatu inter duos Christianæ religionis
professores, magnam ipsa religio, licet imme-
rito, contraxit infamiam. Nam summus to-
tius Japoniæ Imperator, vt iam diu non parum
in sensus fidei Christianæ institutis, hinc an-
sam capiens obtrectandi, duorum culpam in-
vniuersos, & inde in ipsam legem Christianam
referebat, palam dictitans, aliam sectam non
esse vllam quæ huic dolis, fraudibus, impieta-
te par foret, ergo acriter in domesticos suos in-
quiri iubet, essente aliqui huius, vt aiebat im-
pietatis sectatores. Delati sunt omnino qua-
tuordecim, quibus ad se euocatis admodum si-
bi displicere præ se tulit; quod neglecto edi-
cto suo, (quo iam olim interdixerat, ne cui li-
ceret è familia sua patrios ritus cum peregrinis
Christianorum institutis commutare) ad im-
piam sectam defecissent, qua ex causa meritò
capitalis criminis rei essent, se tamen præte-
ritis obsequijs vitam dare, & sædam à pa-
trij Dijs defectionem, bonorum proscrip-
tione & perpetuo exilio damnare; quam sen-

quædamque huiusmodi sententiam
 2

uentiam Christi Athletæ fortissimi ad vnum
omnes ceperunt. Sed crudelissimus tyrannus
atrocius propè sæuijt in absentes. Nam à su-
premo Imperij Senatu suo nomine litteras ad
vniuersos regulos scribi iussit. Interdixisse
se vniuersis aulæ suæ asseclis, ne quis patrios
ritus cum impia Christianorum, secta com-
mutaret. Et quoniam ex omni suo comita-
tu quatuordecim deprehensi fuerant, qui hanc
suam voluntatem sequi neglexissent, eos se
fortunis omnibus ac patrio cælo exuisse.
Eos autem cum his litteris nominatim om-
nes exprimi voluisset, sanxit seuerissime ne
regulorum ac Dynastarum quisquam à se pro-
scriptos exciperet, aut quicquam earum re-
rum, sine quibus vita duci non potest, sup-
pedicaret.

Id edictum Iaponensis etiam Ecclesiæ anti-
stiti, ac Societatis IESU superioribus, Nanga-
saquiensis oppidi Gubernator ita significauit,
vt simul moneret, viderent etiam atque etiam
ne hoc edictum violarent, id Imperatorem
grauatè laturum, & seuerissimè puniturum.
Ita gloriosi Christi pugiles, purgamenta hui-
us mundi facti, & in solitudinibus ac spe-
luncis errantes, Ecclesiæ nascentis incunabu-
la in extremo terrarum orbe, post tot sæcu-
la renouarunt.

Neque hi solum publicum fidei testimoni-
um in amplissimo totius Iaponiæ theatro, vrbe
videlicet regia reddiderunt; nam, cum sit effi-
cacissimum Principis exemplum in vtramque
partem, tametsi minimè iusserit reliquos aulae
suae Principes, de famulis Christianis, quod ipse
fecerat, quæstionem instituere; nihilominus
quisque pro se, vel adulandi studio, vel offen-
dendi Principis metu, è suo famulatu plerique
fidei Christianæ sectatores expulerunt, ijque
ad septingentos numerati dicuntur, & nume-
rosa testium hæc turba, tametsi fidei nostræ
constantiam non parum illustrarit, affectit ta-
men non parum reliquam fidelium turbam &
potissimum gregis Christi pastores, cum vide-
rent tot viros nobiles fortunis omnibus exu-
tos, vnà cum suis familijs ad extremam rerum
omnium indigentiam esse redactos.

sed neque Regis indignatio sese aulae finibus
tenuit, nam præterquam quòd ædes nobis ere-
ptæ sint, in quibus Sacerdos è nostris, dum Su-
runganos Neophytos viseret, morabatur, eo
prætextu quod in Pauli, de quo supra, fortunis
numerarentur; eandem fortunam subierunt æ-
des aliæ etiam Franciscanorum Patrum, quod
vnius è famulis regijs, proscriptione damnatis,
esse dicerentur. Imo latius serpsit malum: nam
posteaquam in deliberationem ab ipso Impera-
tore, quid fieret Euangelij præconibus tota Ia-
ponia

ponia sparsis, vocatum fuit, parum abfuit quin sanciretur, vti omnes nostri quotquot in Cami partibus (ita vocant regiones Miacensi metropoli viciniore) Miaci omnes cogentur, neque inde abire permetterentur, reliqui verò Nangafaquij eadem lege retinerentur. Cui sententiæ cum Miacensis Gubernator restitisset, asserens Patres vbique multos habere suorum dogmatum sectatores, quos suis temporibus omnino essent visitaturi: subintulit Imperator, eos qui hoc fecerint capite plecti te. Huc illius euaserat indignatio. neque satis notum qua ratione factum sit, vt mitior sententia lata fuerit: in extremis quippe Ecclesiæ laborantis angustiis, is qui regum corda manu tenet, facit cum tentatione propentum. Ijs igitur in vrbibus, quæ ab ipsomet administrantur Imperatore, res Christiana in hunc modum est constituta, Miaci, quæ vrbs, est antiquorum Regum Sedes, & totius in hanc vsque diem Iaponiæ caput, auctoritate regia sanxit, vti vna Christianis ædes sacra dumtaxat relinqueretur, antiqua illa scilicet Patrum Societatis nostræ, hac vt apparet ex causa, quòd Regijs diplomatis iam olim munita plus habebat firmitatis. Aliam ædem in inferiore vrbis eiusdem statione iussi sunt nostri deserere, eamque vel disturbare vel vendere. Eandem fortunam passa est ædes Patrum è D. Francisci familia, ipsique iussi sunt è Miacensi

metropoli in urbem Fuximi, quæ illis assignata erat demigrare, quod extemplo fuit executioni demandatum. De Patribus quoque Dominicanis quæsiit Gubernator, haberentne Miaci canobium & ædem sacram: sed probatum ab ijs est ædes suas esse priuatas, in quibus Lusitani & Hispani in aulam ventitantes, commorarentur. qua ex causa Gubernator non ultra institit, nisi quod vicinos omnes scripto confirmare cæpit, rem ita se habere, neque futuros post hæc ijs in ædibus ullos Neophytorum cætus; quod etiam seuerè obseruatur. vnus porro alterue, qui è Patribus remanserant occulti, amplius solita munia non exercebant, & ad extremum ipsi quoque Miaco excedere sunt coacti. In reliquis urbibus, quæ in Cami regione computantur, vbi religiosorum Societatis, Diuique Francisci domicilia visuntur, in Fuximi seu Vozaca & Sacay, tamen si sint primario sub Imperatoris ditione, sintque celeberrima regni totius emporia, nihil admodum est immutatum, itaque ibi Euangelij administrati antiquum obtinentes, in hanc vsque diem quieti commorantur, ipsæ tamen ædes conuiuentibus Gubernatoribus in amicorum quorundam fortunis numerantur. Et Patres temporis seruientes magna circûspectione rem procurant Christianam. In Vozacensi porro vrbe hoc peculiare fuit, quia est sub Fideyori tutela (is, vt supra

pra dixi, Filius est Imperatoris demortui, ab eo, qui nunc Iaponiæ præest, iniuria exclusus paterna successione) & quia ædes Societatis cum facultate Taicosamæ extructa sit, nihil omnino est innouatum, eandemque immunitatem aliorum Religiosorum, qui in eadem vrbe degunt domicilia senserunt, sed in hac tamen vrbe illustre martyrium fuit Neophyti cuiusdam Leonis, quem priuatim herus ideo maectauit, quod Christianam nollet fidem eiurare, de quo in annuis fusè. Et hæc ferè ab Iaponiæ supremo moderatore, vel in aula, vel in vniuersa ditio- ne illi propria, contra rem Christianam in hoc rerum turbine tentata sunt.

Venio nunc ad ea, quæ ad eius exemplum reliqui peculiarium regnorum Dynastæ contra Neophytos commouerunt, uno excepto Arimensi Regulo Michaele, cui cõsulto extremum locum relinquo, quod in eius ditio- ne hæc potissimum procella sauiet. Tametsi Iaponensis Imperator ad reliquos Dynastas, nihil super religione Christiana noui scripserit, nisi quantum ad proscriptos supra famulos attinebat; non paucis tamen vel priuato in Diuinæ legis cultores odio permoti, vel adulandi studio incitati, occasionem inde sumpserunt eos persequendi. Atq; imprimis in Regno Yendo, vbi regni hæres commoratur, edicto nouo cautum est,

est, ne cuiquam, è nobilium aut militum ordine liceat Christo summo Imperatori nomen dare, prius autem aliquanto, quàm hæc procella oriretur, Patres è Franciscana familia ædes, sacram & priuatam amiserunt, ex eo quod vicus ille in quo sita erat utraque, in fretum recipiendis nauigijs aperiri ceptum, sit auctoritate publica commutatus, nondum porro alium nominæ structuræ agrum impetrarunt, nec videntur in hac rerum perturbatione impetraturi. In alijs regnis multi, Dynastarum edictis sollicitati & caducarum rerum amissione perculsi, tempori cesserunt; sed alij quoque permulti, quæ Dei benignitas est, insigni constantia, ne religionem amitterent in hac procella, cætera libentes amiserunt, idque maximè in regno, quod Fingo appellatur. Idem ferè de Chicugen dici potest. In Chicungo atrocior etiam fuit tempestas, in ipsum enim Ecclesiæ Pastorem Sacerdotem nostrum sæuierunt, eum quippe regni moderatores suis finibus eiecerunt. Qui in urbem Facata se recepit huic regno cõterminam, vt inde persecutionis exitum contemplaretur, nec inutile consilium fuit, nam cum illos ipsos regni moderatores facti pænituisset, ab ijs est postliminio priori domicilio restitutus, in quo nunc rem Christianam procurat, sed ita circumspectè, vt nihil sua culpa turbarum commoueat. In Bungenfi regno duabus nostri sedibus

amissis

amissis, Tacæta videlicet & Notcu, ab eius Dynasta abire iussi, quo maximè vellent, se intra eiusdem regni fines in Neophytorum quorundam ædes clam receperunt, donec aspiet dies tranquillitatis, & inclinentur persecutionis umbræ: nec nulla spes est, nam Dynasta in dies melior aliquam serenitatis lucem videtur aperire. Eodem tamen in regno tertia sedes est Xinganomine, quo nondum peculiaris loci Dynasta favore, communis procella peruenit, huius regni Neophyti vniuersim, magnos in tuenda religione animos præ se tulerunt, è quibus omnino quatuor gloriosam in vinculis confessionem hodieque profitentur. In regnis Bugen & Aqu, in quo Ficoxima sita est, antiquam pacem retinet religio Christiana. In Fococu alijsque regnis Mori, plus metus quam rei fuit, nam in Neophytos dum multa intentata essent, tentatum, re ipsa nihil. Idem Insularum Amacusa status est, nam tamen si Ximanocamidono earum Regulus, Patres nostros eijcere in animo habebat, tamen suorum consilij etiam Ethnicorum, ab ea mente deductus est. Idem fere de Omurensi Ecclesia, & regnis Gotoo intelligendum volo, nam infra metum ac minas malum fuisse perhibetur: Cum Firandensi cætu, nihil dum moueri audimus. In regno vero Tamba persecutio nis imbrem depluisse narratur. Hæc nominatim tetigisse satis arbitror, peculiarem singula-

rum

tum rerum narrationem, litteris annuis referuamus. Nunc ad Tacacu, id est, Arimensem ditionem, orationem conuertamus, eiusque luctuosam faciem contemplemur.

Vbi auditum est Sayemondouum (neque enim sacro post hac Michaelis nomine dignus est, qui à fide defecit) nouum Arimensis agri Dynastam, sublato malis artibus parente, in eius locum esse suffectum, & vnà cum Herodiade illa Imperatoris pronepte aduenire, itinerisq; comitem rerumq; gerendarum veluti paedagogum assignatum illi Sasioje Nangasaquensis agri moderatorem, illum Christiani nominis hostem acerrimum, facile intellectum est ab omnibus, atrocem vniuersæ ditioni procellam imminere, satis quippe sciebatur iuuenem illum dominandi libidine, qua nihil parenti erat inferior, incitatum, ante annos aliquot Sasioje promississe, se, si eius opera exturbato parente, rerum in Arimensi egro potiretur, Patres nostros omnes è suis finibus exterminaturum, & rem Christianam profligaturum. Ergo Patres primum se, tum cæteros contra præuisa tela, vti minus ferirent accuratè compararunt. Et vix acceperat ab Imperatore ius in Arimense regnum nouus Dynasta, cum exemplo mittit ex vniuerso famulatu selectos quatuor asseclas suos, qui suo nomine Arimensis agri possessionem adirent.

Ab

Ab his tamen si nihil dum est circa religionem immutatum, clausi sunt tamen dispositis excubijs regni exitus terrâ, marique portus omnes, ne quis suo iniussu regni finibus excederet, quam quidem abeundi facultatem, nemini admodum grauatè concedebant, sed cum Patribus nostris ita seuerè agebatur facilè vt apparet has excubias in solos Patres esse dispositas, nec dubia fuit coiectura, postea enim comperit fuit nouum apostatam, nostram etiam supellectilem tam sacram quàm domesticam, dimissis vnica cum veste nostris, spe deuorasse, quanquam videatur sententiam mutasse. Consecutus est ille quidem dispositis vigilijs de non efferenda supellectile quod volebat, sed impedire non potuit, quin Arimensis Collegij Rector quotidie propè, Prouincialem, qui Nangasaquij degebat de omnibus admoneret, licet hoc etiam ipsum non ita facile consequeretur.

Quinto Idus Iunias, in quem diem vigilia Pentecostes incidebat, appulit nouus Dynasta vel potius tyrannus Ximbaram, qui portus in Arimensi ditione numeratur; abest verò Arima tribus non amplius Leucis Lusitanis, & ea ipsa nocte malorum incentor appulit Sasioje. Eo in portu simul omnes substiterunt initoq; consilio de vniuersa re Christiana euertèda, primum edictum scriptum est in hanc ferè sententiam.

Quoniam

Quoniam summus Iaponiæ Imperator, Christianorum legem Iaponia vniuersa exterminari mandaret, se quoque imposterum iubere, vti subditi omnes sui eam eurent, qui id facere abnuerent, intelligerent se omnino plectendos. liberum porro vnicuique fieri quam maximè voluerit è Iaponijs sectis amplecti, earumque sacerdotes ac ministros euocare, quibus ager ad extruenda fana ex publico donaretur. Impium hoc edictum primo alteroque post dictam celebritatem die, in omnibus vicis ac pagis Arimensis agri à primarijs tyranni famulis, quos ad eam rem tres omnino selegerat, est promulgatum, sed ita vt nemini per eos dies vlla vis inferretur, secundo promulgationis die nouus Arimadono, vnà cum Sasioie, solemnè apparatu, Arimam est ingressus. Ex itinere porro impius defertor, haud dubium quin hortatore Sasioie, obuias aliquot cruces petulanter euertit. Eoque ipso die tres nominauit aulæ suæ primores, primus erat Dynasta, Patruus Parentis videlicet & semigermanus, alter erat consobrinus, tertius verò senex quidam, qui iam plures annos vnus fuerat ex Arimensis regni moderatoribus: his demandauit vti militibus omnibus ac cæterâ Nobilium turbâ singulatim accersitis, vnà cum ijs, qui stipendia sua mererent, suo nomine mandarent ac suaderent vti eiurato Christo ad patrios ritus reuerterentur. Id agi captum impigre:

pigre: nam in Senioris domum triceni ferè e-
uocabantur, tum singuli ab his inquisitoribus
interrogabantur Christumne ex Dynastæ man-
dato eiurarent? Non deerant aliqui quos pœna-
rum metus ex animi sententia deturbaret, sed
plerique palam asserbant se Principi suo in om-
nibus ad aras vsque parituros, si autem de his
violandis ageretur se nec posse nec velle etiam
proposita mortè parere. hi qui fortiter se gesse-
rant varijs artibus ad mutandam sententiam vr-
gebantur, non solum in iudicum præsentia, sed
submissis familiaribus, qui iam à Christo ad ty-
rannum indigna permutacione defecerant; qua
etiam arte nonnulli, qui iam fortiter resisterant,
turpiter deinde sunt expugnati. verum ad ex-
tremum fortissimi pugiles, qui sibi vbique con-
stiterunt fuere permulti, à quibus iam compa-
tatis animis fortunæ vitæque ipsa in Christi
causa ponebantur. vbi euulgatum est Nobiles
ad Christi confessionem accersiri, certatim in
ædem sacram ab omnibus ordinibus concurre-
reptum est, ita frequenter, vt nullus Patribus
refectioni quiete necessariae locus relinqueret-
tur. Cum Neophytis ergo hic ferè ordo per eos
dies seruabatur, Matutinis horis omnipotenti
Deo litabatur, ijs autem, qui ab iudicibus die
condicta fuerant accersiri, sacrosancti huius sa-
crificij victima in refectionem distribuebatur,
vt illius virtute vitam reddere, ne grauarentur

ei, qui suam pro omnium salute prodegerat. Si qui vero angustijs temporis prohibiti, his armis permuniri minimè poterant, ijs in præmium pretiosum hoc munus tradebatur postea si gloriosam pro Christo confessionem animo constanter protulissent. Cæteros appositis cohortationibus ad profundendum in Christi causa sanguinem incitabant. Et quia pœnitentium numero Patrum paucitas superabatur, ne cui deessent, hanc rationem inierunt, fratres nostros adiutores, & alios scholares, rei Christianæ ex Iaponensis Ecclesiæ instituto administratos, in ædes submittebant singulos accommodatius incitatuos, ad mulieres porrò prouectiores destinabant matronas, quæ longa virtutis exercitatione dignæ Apostolico ministerio videbantur. Sed nihil incitabat ardentius quàm illorum nobilium, qui iam è pugna victores redierant cohortatio, hi enim auctoribus nostris, per ædes cursabant, & sacrum quo iam ardebant ignem in aliorum animos coniiciebant. Salubre visum est hoc institutum contra impietatis ministros: nam sicut illi fortes alioqui pugiles infirmorum colloquijs deturbarunt; ita propensius videbatur infirmos fortasse nonnullos, fortiorum vel colloquijs, vel exemplis confirmari.

Hactenus cum Neophytis, post etiam cum Patribus tyrannus decertauit, Ipso enim D. Anthonij

thonij Paduani; vel potius Lusitani, die, fortasse
 in eam diem sœuire desierat, vt ægrè faceret na-
 tioni Lusitanæ (quæ vt alias in oriente permul-
 tas, ita hanc expeditione Iaponicam, cum tanto
 fructu cõplexa est) eo inquam die, cū nouus de-
 fertor, cum pellice sua & Sasioje cõuiuaretur, du-
 os è conuiuio viros nobiles ad Collegium misit,
 (quàm aptè Herodem ille cū sua Herodiade re-
 ferebat!) hos Patribus renunciari hæc fere iubet.
 Imperatorè suum lege Christiana omnibus in-
 terdicere, eam ob causam sibi omnino nõ lice-
 re, Patres eiusdè legis præcones ac ministros, in
 suis terris retinere. Abirèt igitur extemplo quo
 vellent, sua secum efferrent, præter ea quæ Ia-
 ponico more efferre non licet. Ea consuetudo
 est, vt proscripti, ædes suas storeis instratas, ex
 more portis ac fenestris, & reliqua lignorum
 congerie instructas, fisco relinquunt. Hoc man-
 datum extemplo Collegij Rector, tum Præposi-
 to Prouinciali, tum reliquis Patribus, in suas pa-
 ræcias tota ea ditione distributis, renunciari iu-
 bet, quod vbi euulgatum est, dubitari potest u-
 tros acerbius perculerit nuncius hic, Neophy-
 tósne an Pastores, & sanè tristis erat nuncius, tot
 annis cultam vineam vno die deserui, in qua ne
 palmes quidem vnus reperiabatur, qui non in
 Christo vite vera, per Baptismum insertus esset.
 Ad eum ergo nuncium frequentiores in ædem
 nostram concursus fieri cæpti, ijq; ita excreuerūt

vt tyranno quod assolet suspicionem sinistram mouerint, ædes enim sacra ad pedem collis, in quo arx est extructa, omnia conspicienti obijciebat, ergo immissis excubijs lupi oues à Pastoribus arcebant. Neophytorum tamen desideria, militarem in excubando industriam eludebant: nam conscensis, qua minus credebatur parietibus, vel mentito habitu etiam Nobiles matronæ, in ædem nostram penetrabant. hos omnes Patres, quibus poterant subsidijs, sed maximè pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis confirmabant, & mœrorem quem tergere non poterant, mitigabant. Quoniam verò post mandatum conuiuente Arimadono, nostri dies aliquot substiterunt, per eos dies nihil aliud diurnis ac prope nocturnis horis omnibus faciebant, quàm concurrentes Neophytos expiare. quæ porro de Arimensi vrbe dico, idem de reliquis sedibus dictum volo, Et sanè tam insignis huius Ecclesiæ virtus intoleranda procella enituit, vt vniuersæ Iaponiæ exemplo esse possit in retinenda fide nihilo minus, quàm hæctenus fuerat in amplectenda. Nec enim solum viri nobiles, aut è militari ordine, quibus fortasse natura plus est animi ad adeunda pericula; sed ipsi negotiatores & agricolæ, ac reliquum vulgus primorum exemplum & auctoritatem præire potius, quàm sequi videbantur. Ex ijs enim permulti nouo more illustre
sub-

subeundi martyrij sodalitiū contrahebant, quod adhibito etiam iureiurando, vel gentis more proprio Chirographum sanguine confirmabant, alijsque modis necessitatem sibi oppetendæ mortis imponebant, ne quis fortasse hostiū aries concepram animo quateret firmitatē.

Accepto Præpositus Provincialis tristi nuncio, reque in deliberationem vocata, Patribus auctor fuit, tametsi Neophytis videretur vti Patres omnes huic primo furori cederent, clam postea ad eos iuandos redituri: sibi tamen ac Patribus videri omnino, ne gregem suum Pastores omnes desererent, ac penè proderent, omnino tres aut minimum duos Rector nominaret, qui etiam cum vitæ periculo sese intra regni fines occultarent. Fecit Collegij Rector, quod iubebatur & communicato cum Neophytis feruentioribus consilio, duos Patres in ipsa vrbe Arimensi reliquit, alterum apud senem quendam ipsius Dynastæ auunculum, & alterum apud alium Neophytum in suburbanis ædibus occultatum, alium etiam Patrem alio in loco reliquit cum socio adiutore, loco Canayania nomen est. Nunc verò alij duo subsidio submissi sunt, alter in Cuchinotcu, alter in Cadzuca pagis, atque ita Patres omnino quinque tres socij adiutores scholares administri, in agro Arimensi latent, & rem Christianam quam possunt prudentissimè procurant.

Non arbitrabatur Arimensis Dynasta, cū religionem Christianam è suis finibus exterminandam suscepit, se tantam in suis ciuibus firmitatem experturum, quam vbi aduertit, satis dubius quid ageret, hæere cæpit. nam hinc eum Sasioje vrgebat, mali dux & caput, quē ideo nimis verebatur, quod sciret eum Imperatori esse non mediocriter gratiosum. Illinc intelligebat se, si rem ad exitum persequeretur ditioni suæ exitium allaturum, & erat certum, futuros, qui extrema omnia in Religione tuenda adirent, ri, neque hi è primaria solum Nobilitate, sed ex reliquis ordinibus ac plebe vniuersa. Ergo vellet nollet fidei quam extorquere se posse diffidebat, impunè retinendæ permultis Nobilibus fecit facultatem. Negotiatores porro ac opifices, colonosque omnes ab edicto exclusit, liberam illis potestatem faciens Religionis pro arbitratu eligendæ. Ne vero nihil fecisse videretur & iustam Sasioje indignationis causam præberet, nonnullos viros nobiles asseclās suos, familias omnino quinque, qui insigniorem coram deputatis quæstoribus constantiam præ se tulerant, exutos stipendijs ac fortunis omnibus vna cum familia vniuersa exulare iussit, edicto cauens ne quisquam eos reciperet aut foueret. quam illi sententiam non libenter solum, sed hilariter sunt amplexati, Deo gratulantes suam sortem quam in insigni Dei beneficio, reponebat, deinde

de ne cuiquam malū accerserent, in siluam sese
vt priores illi quatuordecim ab Imperatore pro-
scripti, cum vniuersa familia receperunt, vbi
eos Neophyti neglectis edicti pœnis, omni
Christianæ pietatis obsequio fouent, nec ipsi so-
lūm, sed etiam Patres nostri qui Nangasaku
morantur vna cum huius Ecclesiæ præfule, in-
partem operis pij venire voluerunt: nam ad pe-
cuniarium eleemosinæ nomine subsidium, ve-
stes quoque submiserunt. Nec hic stetit ty-
ranni futor, sed eius mandato tres ex vniuerso
Neophytorum grege victimas, martyrij gloria,
eius ministri cohonestarunt. Arimæ vir nobilis
Leo nomine, in Christi causa sanguinem fudit,
quod cum ille iam subodoraretur, verebatur ta-
men, ne si forte improviso ictu peteretur, ex cō-
suetudine militari ferrū stringeret, & Christia-
næ mansuetudini officeret; sed vt erat compara-
tus, sibi præsens fuit: cum enim in medio vico
sicarius eum inopinantē aggressus fuisset, mox
militare cingulum vnaq; ferrum quo accinctus
erat, abiecit, & mortem pacatissimè suscepit,
quam ardentissimè expetebat. Alij duo Micha-
el ac Matthias in pago Arijæ plexi sunt, quod in
Patrum absentia infantes baptismo eluissent, de-
functos sepelissent, aliaq; id generis exercitia
peregissent, sed maximè quod auctores fuissent
sodalitij martyrū instituendi, de quo cōmemo-
raui, in eoq; Catalogo primi sua nomina inscrip-
sissent.

T 4

Atque

Atque hic maximè fuit processus instituta ab Arimensi Dynasta persecutionis, quæ nunc in dies mollior, spem facit pristinae tranquillitatis breui reditura: nam Arimensis Dynasta eo ipso tempore, quo Patres abitum parabant ad Collegij Rectorem misit quendam propinquum suum, qui multa ad se purgandum, causaretur, assereretque esse se animo, quo semper fuerat Christiano, sed ne patria hæreditate excideret, hæc se necessario facere; etsi quidem sciret, quanto se scelere adstringeret, sperare se tamen mutatis temporibus omnia cumulate restauraturum. Idem obnunciari iussit Episcopo, & Societatis nostræ superioribus; nec dictis fidem deesse credimus, satis enim constat, eum non nescire, quot è nostra Societate sacerdotes in Arimensi ditione latitent, quod nondissimulat solum, verum etiam facultatem fecit duobus tribusue rem Christianam, quam occultissimè possent, procurandi, nec in hoc rerum statu nihil est, quod eius vineæ cultores consoletur: nam ut scribit Episcopus, satis constat nulla ministrorum culpa quicquam innouatum. Præterea tantum Christianæ Religioni ex tanta Neophytorum firmitate per vniuersam Iaponiam splendoris accessit, ut omnino sperandum sit, ex hac procella, quod in Ecclesia semper contigit, insignem aliquam serenitatem nascituram. Alia multa erant peculiaria, quæ

annalibus secuturis reseruantur, hæc satis visa sunt, vt ne nesciretur, quo loco res Ecclesiæ Iaponensis versarentur.

Scribitur quoque in altera Epistola, vnde hæc accepi, post scriptas litteras, extinctum è Societate nostra fratrem vnum adiutorem natione Iaponium Gasparem Toi nuncupatum Epilcopi litteræ datæ scribebantur Octobri mense, decimo die, Societatis verò, mensis eiusdem 22. anno salutis nostræ millesimo sexcentesimo duodecimo è portu Nangesaquiensi.

Nondum hæc edideram cum Romæ, quoniam itinere diei benignitate confecto perueneram, litteras legi ad Præpositum Generalem, à Prouinciæ Goanæ Præposito Prouinciali Goæ datas Aprili mense, anni 1614. ac itinere terrestri transmissas anno videlicet 1613. Octobri mense scriptas, sibi redditas, his nunciabatur exortam apud Iapones in Neophytos persecutionem malo denuo recrudescente acriter vrgeri, siue à decrepito totius Iaponiæ Imperatore siue ab Arimensi Dynasta, fœdissimo Christianæ legis desertore. Et quidem hoc speciatim tangebatur varijs in locis Iaponios Neophytos octo & viginti generose Christum in tormentis professos, vitam glorioso martyrio profudisse; præter alios octo in Arimensi ditione, quos instar nobilissimi Athletæ Laurentij lentis ignibus tostos asserebant; quorum animis ac triumphis


T 5

phis

phis accensi ex Arimensibus Neophytis ad viginti millia, sese ad idem tormenti genus in Christi causa tolerandum paratos esse prætulērunt; qua re cognita tyrannus Arimensis territus, furoris sui cursum inhibuerat. Itaque gloriosa quidem triumphis, sed squallida pulvere Iaponensis Ecclesiae facies exhibetur; maximè quod Amacaensis Oneraria, rerum, sine quibus vita non ducitur, subministratrix in portu scopulo allisa illius anni nauigationem sefellit, Et necessarium in his angustijs subsidium distulit, spesque multas interrupit. Hæc eo consilio addidi, vt quoniam mala perseuerant, lectorum preces non consistant, vti pace reddita, belli spolia colligantur.

Ad maiorem Dei Optimi Maximi gloriam.





AVGVSTÆ VINDELICORVM,


Apud Christophorum Mangium.


M. DC. XV.


Sibit Collegij Societatis Juv Paderborn:




















ANNEA
Sinica
M.DCX ad XI
Iaponica
M.DCIV. usq
610 211

Th
5213